CONCIONES SEX.

AD ARTIUM BACCALAUREOS HABITÆ,

In *Die Cinerum* pro more in *Templo B.* MARIÆ, ante Publicas in Scholis Diſputationes, per totam inſequentem Quadrageſimam ab illis continuandas.

Per JOHANNEM PRIDEAUX Collegii *Exonienſis* Rectorem, & S. T. Profeſſorem REGIUM.

Eccleſ. 12. 11.
דברי חכמים כדרבנות וכמשמרות

Luc. 5. 39.
Οὐδεὶς πίων παλαιὸν, εὐθέως θέλει νέον· λέγει γὰρ ὁ παλαιὸς χρηστότερός ἐστιν.

OXONIÆ,

Excudebat L. LICHFIELD Academiæ Typographus, Impenſis *H. Cripps, H. Curteyne,* & *T. Robinſon.* A. D. 1648.

AD LECTOREM.

EST quod te (*Lector*) paucis velim admonitum, occurrere nonnulla tam in ſequentibus *Concionibus*, quàm in *Lecturis* & *Orationibus* antecedaneis, quæ, in *Academiæ* noſtræ conſuetudinibus minus verſatis, injiciant Scrupulos. Cujuſmodi ſunt iſti Termini, *Incæptores*, *Benedictiones*, *Veſperiæ*, *Comitia*, *Creationes*, & *Reſpondens Doctoribus* in Theologia *Baccalaureus*, ut & *Baccalaureorum* in Artibus *Determinationes* & *Inſignia* ex *Agninis pellibus* candicantia. Iſta *delicatioribus* videantur barbara, *Novatoribus* ſuperſtitioſa, & tantum non *Papiſtica*, Superciliosis *Ludicra* & *hiſtrionica*: Sed ſapientia juſtificata eſt ab omnibus ſuis filiis, dum radices non agant *ſpuria vitulamina*. Summatim igitur accipias, *promotiones* noſtrorum in *ſuperioribus Facultatibus*, ſub initium *Menſis Julii* quotannis celebrari, ubi *Die Saturni Profeſſoribus* ante Meridiem Solenniter legentibus, à *Bedellis* præſentantur *Incæptores* promovendi ut *Benedictionem* ab illis accipiant, unde *Benedictiones* iſtæ intertextæ in *Lecturis* præcedentibus. Poſt *Meridiem* redeunt, & *Theſes* quaſdam ſelectas (Opponentibus cum Profeſſore, Doctoribus aliis, aut doctis) quilibet *ſua vice* propugnat. Quæ quidem *Diſputationes*, quia ab hora prima ad *Veſperam* uſq; ſunt protractæ, *Veſperiæ* vulgo audiunt. Interjecta deinceps *Dominica*, *Concionibus* ſelectis deputatur. Die inſequente *Lunæ*, prodeunt in *Comitia*, ubi qui antea habebãtur *Incæptores*, collatis â *Profeſſore Inſignibus*, *Doctores* creantur, ſtatimq; oppugnant *theſes Baccalaurei* reſpondentis in *Theologia*, ut conſtet ipſorum *promptitudo* in *opponendo*, quæ antea patuit in *Reſpondendo*. De *Baccalaureis* in Artibus ſat ſit addere, illos neutiquam haberi tales ſimpliciter, priuſquam vices ſuas conſtitutas per totam *Quadrageſimam* reſpondendo ſubjere. Hæ vulgo dicitur *Determinatio*, quod extraneis & candidè inquirentibus innuiſſe ſufficiat.

Luc. 7.

TITVLI CONCIONVM.

1. De *Sapientia Ægyptiorum.*
2. De *Christi Adolescentia.*
3. De *Apollos Institutione.*
4. De *Apollos Zelo & praxi.*
5. De *Religione Juramenti.*
6. De *Scala Visibilium ad Invisibilia.*

Alloquium ad Regem IACOBUM.

CONCIO I.ª

Habita ad

ARTIUM BACCALAUREOS

In die *Cinerum*, *Ann.*

1616.

De Sapientia Ægyptiorum.

ACT. 7. 22.

Et erat Moſes *eruditus in omni ſapientia* Ægyptiorum, *eratq; potens in verbis & in operibus ſuis.*

RITUM eſt illud, *Longum eſſe iter per præcepta, breve per exempla*, Rationem reddit *Auguſtinus* lib. 8°. de *Trinitate* & cap. 9. præſertim in *Moralibus*, quia ex *forma* ſive *Idea* aliqua, quam ſemper *Stabilem* & *incommutabilem* cernimus, & *excitatur fides noſtra, quâ credimus* vixiſſe ſic *aliquem*, atq; etiam *ſpes*, quâ *nos* quoq; ita *poſſe vivere*, qui *homines ſumus*, ex eo quòd *aliqui homines ita vixerunt*, minimè deſperamus. Unde *Ariſtoteles* exempla vult *Homerica*, non *Cherelæa* in *artibus* & *præceptis*. *Topic.* 8°. & *Salvator* ſuadens *diſcipulis* humilitatem, *Exemplum* (inquit) *dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis*. *Joh.* 13. 15. Concionem igitur apud vos habiturus hodiè (*Laureati juvenes Fratres* in Chriſto *dilectiſſimi*) elegi hoc *Stephani Protomartyris* de *Moſe celeberimum teſtimonium*, in quo & *Segniores* videant, quid negligunt, & *Alacriores*, quid tanquam *nubem* & *columnam* per *impeditos* hujus mundi *anfractus* interdiu & noctu ſequantur. Conſtat autem *ex præcedenti capite*,

2

pite, quomodo ſuſcepto *primo* Eccleſiæ *gradu*, in *Adverſarios* ſtatim inciderit *Stephanus*. Opponunt *Libertini*, *Cyrinæi* & *Alexandrini*, ſubornantur *falſi teſtes*, excitant *plebem Seniores*; nec *ſupploſio* proculdubio *pedum*, aut *ſibila* defuere, ad morem noſtrorum *congreſſuum*, ubi *furor* potiùs quàm *ratio* dictat argumenta. Hiſce tamen omnibus, ita quaſi *pro forma* in hoc capite ſatisfacit *Candidatus noſter*, ut quæcunq; adduxiſſent *Aduerſarij*, ad confirmandum *illum Templum* aut *legem* ſuis *theſibus* impugnaſſe, tam dextrè *retorquet* in ipſorum *jugulum*, ut præter *ſtridorem dentium*, *clamores*, & *lapides*, non eſſet quid reponerent. Ac ſi contractiùs rem totam ſic propoſuiſſet. Erratis (viri *Patres* & *Fratres* conterranei) ſi exiſtimetis me, dum *Jeſum Meſſiam* prædico, *templum* veſtrum aut *Moſen* demolitum iri, imò potiùs *ſtabilio*, *& confirmo*. Quid enim, ut *Abrahamum*, ut *Patres* reliquos, & *typos* legis omittam, (quæ omnia quaſi intento digito *Chriſtum* reſpexerunt) Annon *Moſes* ipſe partes meas agit? Annon ille ad *Prophetam* vos remittit, quem *ſuſcitaret Deus è fratribus veſtris*, & jubet, ut vos *ipſum audiretis?* Si *ipſum* igitur, & non *alium* vobis commendemus, quid *Moſen* & *templum* opponitis, quæ eò nos duxerunt, quò jam pervenimus? Non geſta ſunt hæc (ut nôſtis) in *angulo*, non *ignota* vobis propono. *Mea fides* & *oratio* nihil apud vos ſint ponderis, valeat tantùm *Legiſlatoris veſtri* de hoc *Propheta* venturo vaticinium: eoq; magis quia non à *ſtiva*, ut *Eliſha*; vel à *Caulis*; ut *Amos*; ſed ab *exactiſſima* gentium *diſciplina* ad Prophetandi munus aſcenderit. *Nam eruditus erat Moſes in omni ſapientia Ægyptiorum, eratq; potens in dictis*, & *factis* ſuis, Quô *luculentiùs* debet eſſe apud vos illus de *Chriſto teſtimonium*. Atq; ſic habemus, quò tendit hæc interpoſita *Moſis* per *Stephanum Commendatio*. Cui ſi *velamen* commodè *detrahatur*, in conſpectu.

Dut. 18.

Erit { 1. *Moſis Inſtitutio*, ᾧ ἐπαιδεύθη Μωσῆς, Et *Moſes* erat eruditus, *ſive Inſtitutus*.
2. *Profectus*, & erat potens ἦν δὲ δυνατὸς ἐν λόγοις καὶ ἔργοις.

Inſtitutio eſt Actus, Actus reſpicit *Objectum*, *Objectum* hoc in loco quoad { 1. *Extenſionem*, eſt, πᾶσαν *omni*. 2. *Speciem*, eſt σοφίᾳ *ſapientia*. 3. *Specificationem*, eſt Αἰγυπτίων, *Ægyptiorum*.

Et erat *Moſes eruditus* in *omni ſapientia Ægyptiorum*. Profectus elucit in *potentia*, quæ *effectus eſt iſtius ſapientia*. Et *duo* (ut videtis) complectitur, *Dicta* & *Facta*, eratq; potens *verbis* & *operibus* ſuis. *Stulti* ſedere cupiunt in *Cathedra Moſis*, qui nunquam fuerunt *Inſtituti*; inſtituuntur *plurimi*, ſed tanquam *canes* ad *Nilum*, *lambunt* tantùm, & *abeunt*, nec ulteriùs ſe *proluunt*: Hauriunt alij *libertus*, ſed pauca *digerunt*, digerunt *nonnulli* penè *omnia* præter *ſapientiam*; *Sapientiam* quidam *ambiunt*, ſed *politicam*, ſed de *ſuo cerebro natam*; non à *Majoribus* acceptam. Quod ſi prodeat tandem quiſpiam *Eruditus* in *omni*, in *omni ſapientia*, in *omni ſapientia Antiquorũ*; deficit tamen plerunq; *in praxi*, aut *impeditæ* eſt *linguæ*, aut *depravati cordis*; non *poteſt*, aut *non vult* loqui; aut *loquitur*, ſed *facta* diſcrepant; vel *facit* ut loquitur, ſed *parerga*, ſed in *rem ſuã*, ſed non ut *fidelis ſervus* in *tota domo*. Tantæ molis eſt ex *quovis ligno Mercuriũ*, vel ex multis ſeculis *unicũ Moſen* dedolare. Umbras alij *conſectantur*, *Regis*, apud *Xenophontem*; *Reipublicæ* apud *Platonem*; *Conſulti* & *fortis* viri, apud *Homerum* & *Virgilium*; *Oratoris*, in *Ciceronis Bruto*; *Senatoris*, apud *Grimaliũ*; *Aulici*, apud alios. Vbi & affinguntur quæ decent, & ſemoventur, quæ *dedecorant*; ſic ut non videas, quid *quis fuerit*, ſed *qualis quiſq; eſſe debuerit*. At hìc *perſona ficta* non introducitur, evanidis perpaucorũ hominum *obtutibus* ſubjecta, aut efformata; ſed conſtat de *Nomine*, *Moſes*; conſtat de *educatione*, eruditus erat in omni ſapientia Ægyptiorum: De quibus nobis in limine brevibus eſt diſpiciendum.

2. *Et eruditus erat Moſes*] Tria hìc occurrunt perpendenda. 1. *Quis*. 2. à *quibus*. 3. in *quibus erat ita eruditus*. Quis? *Moſes*, *Filius Amram* è *Jocabed*, *ex Tribu Levi*, morti *deſtinatus* antequam natus; à *Parentibus* expoſitus, & in *fiſcella* ſcirpea ad carectum *ripæ fluminis* relictus. Adeo ut de hujus *Inſtitutione*, ſupervacanea videbatur omnis *induſtria*. Ecce enim *miſellus*, *Infantulus*, latet in *papirione*, *Parentes* non audent appropinquare, *Soror* procul ſtat, ut conſideraret *eventum*. Sed qui ſuſcipit ab *vtero Matris*, cùm *Pater* & *Mater deſerunt*, hunc præcipuè Dominus (ut loquitur *Pſalmiſta*) in clientelam recipit. Audit *vagientem Infantem*, mittit *Regis filiam*

Pſ. 138. 12.

ut

ut ab *ulvis* extrahat, & ad *matrem* nil tale ſperantem *nutriendum* reſtituat. Quis vel *animum deſponderet* in *ultimo* rerum diſcrimine, cùm *talia* tam mirificè *effecta* eſſe perſpexerit? Nomen *Moſis*, ſive à *Mos*, (ut putat *Philo*) ſive à *Moy*, (juxta *Clementem Alexandrinum*) quæ *vocabula Ægyptiacè* aquam ſignificant, ſive à משה *Hebraico Originem* duxerit, & vocavit nomen ejus *Moſis* כי מן-המים משיתהו (quoniam inquit *Filia Pharaonis ex aquis traxi eum*) *eandem* ſemper inculcat *Domini de ſuis providentiam*. *Apocrypha* ſunt reliqua iſta apud *Clementem*, quòd antea *Joachim* à *Parentibus*, jam *myſticè* in cœlis *Helchi appellatur*, quemadmodum & iſta, quæ adducit *Junius* ex *Diodoro Siculo*, *Mueves*, aut *Pererius ex Aben Ezra* nomen *Movion* ab *Ægyptiis* ipſi fuiſſe impoſitum. *Joſephus* pleniùs componit ex *Mos Aqua*, & *Ses ſervatus*, ſed repugnat *Textus*, quia non *ab aqua*, ſed ab *extractione* Etymon acceſſit. Credibile igitur eſt *vocabulum* משה ad quod alluſit *Pharaonis Filia* in nomine imponendo, *Ægyptijs* juxta & *Hebræis* fuiſſe commune. Quæ *commemorâſſe* tantùm ſufficiat, cùm *Inſtitutio* ipſius à nobis præcipuè ſit reſpicienda. Potuiſſet quidem *Deus immediatè* abſq; *præceptoribus* illum inſtituiſſe; in promptu fuerint *iſta dona*, in *divino gazophylacio*, quæ in *Salomonem* poſtea, & *Apoſtolos* cœlitùs effuſa legimus: voluit tamen, ut ita onuſtus *ſpoliis Ægyptiacis* ad ſublimiora *gradatim* aſcenderet, ut non *diffugerent alij* aut *contemnerent*, eoſdem labores & diſciplinas; dum conſtat etiam *iſta* & à *Deo eſſe*, & ad *Dei gloriam* promovendum non parùm conducere. Non igitur αὐτοδίδακτος erat *noſter Moſes*, nec *otio diffluens* utcunq; *Princeps*, utcunq; præ cæteris *in deliciis* in *Pharaonis Aula*, ſed *eruditus*, ſed *Artibus excultus*. Indignum cenſebant *Ægyptij*, ut quem *Rex adoptaſſet* in *Nepotem*, *Filia* ipſa in *Filium*, cæteris etiam non eſſet in *ſcientiis* inſtructior. Ita inſtructus poſtea *Daniel in Chaldæorum Lingua*, & *Literis*, emerſit tandem celebrior in *Aula Babylonica*, *ad refrigerium* laborantis *Eccleſiæ*, Ita ad *Pedes Gamalielis* inſtitutus *Paulus* ad *exquiſitam formam* patriæ legis, & nervoſiùs *Judæos* conſtrinxit, & uberiùs *myſterium ſalutis* gentibus explicat. Et quanquam maximâ ex parte *diſcipulos* tales *Chriſtus* elegerit, quos conſtat ab *omni literatura* fuiſſe planè imparatos, ut ita ex ore quaſi *lactantium* laudem perficeret, nec gloriaretur *omnis caro* in *conſpectu* ejus: Doctum tamen *Nathanielem* & *Nicodemum Magiſtrum in Iſrael*, à *ſua* etiam *diſciplina* tunc temporis non excluſit; ne ſi *ſolos ſimplices* vocâſſet, (ut rectè animadvertit *Johannes de Turre-cremata* in feſto S. *Andreæ* q. 1.) *credi poſſit*, *quod fuiſſent* ex ſimplicitate *decepti*. Nunc verò cùm *confirmatum* habeamus *Evangelium*, & *conſtitutam Eccleſiam* per *prædicationem Indoctorum*, & miraccula (quod ut primò radices ageret inter incredulos, omninò erat neceſſarium) expectare ulteriùs *enthuſiaſmos*, & *dabitur in illa hora* neglectis medijs, *vertiginoſi* eſt *cerebelli* ad *Anticyras* potiùs quàm ad *Ægyptios* relegandi.

3. Iſta vos percipuè excitarent (*candidati Juvenes*) ad *artes* quibus adhuc litatis, alacriùs imbibendas, ut exemplo *Moſis noſtri* ad altiora inſtructiores aſcendatis. Ille ſiquidem (ut videtis) inter Aulæ *Lenocinia*, non negligit ſeveriores *Academiæ* diſciplinas; ſed *præpoſtera* hujus ſeculi *corruptio* *Academias* effingit ad *Aulæ luxum*, ſic ut admiſſi nauſeamus ad *Inſtitutionem Regiam*, & ſi *Titulos* conſequamur ſufficit; de re *ſubſtrata* parùm ſolliciti: Unde prodeunt frequenter ex *hoc loco immaturi* quidam *Ardeliones*, qui dum *docere* aggrediuntur, quod nunquam *didicerunt*, abutuntur *Accademiæ benignitate*, ad *infirmorum ſcandalum*. Atq; iſti plerunq; geſtiunt *ſchiſmata* & *lites* ſerere, & *omnis Antiquitatis* ignari, *Nova* quædam comminiſci ne *nihil non ſapere* apud *imperitum vulgus* viderentur. Quanto autem iſta contingant, & cum *Eccleſiæ damno*, & hujus *loci dedecore*, experimur potiùs indies, quàm perpendimus ut ſanemus. Aliter (ut videtis) hic *Moſes noſter* πεπαιδευμένος, *Eruditus erat* priuſquam in *publicum* prodiret: At quam plurimi hodiè currunt è *teſta* vix excluſi, unde incidunt in *laqueos*, antequam ferè (ut multa *Ninivitarum Millia*) inter *dextram* & *ſiniſtram* noverint diſtinguere. Quid ergo, num omnes qui diutiùs hîc cõmorantur, *Moſis* premunt veſtigia? utinam ita eſſet (Fratres) ſed *Peripatetici nonnulli* è *noſtris*, aut in *Clinicos* degenerant (ut feſtivè alicubi habet *Cyprianus*) lectulo potiùs, quàm *Lyceo* affixi; aut σφετερισταὶ (teſte *Apoſtolo* ad Philip. 3. 18.) ut *hoſtes crucis Chriſti*, addam ego ut *Carcinomata* & *Strumæ* Artium & *Accademiarum*; in quos nimis iſta quadrant, quæ ſequuntur, *quorum Deus eſt venter*, *gloria confuſio*, *finis exitium*; & plerunq; in morem *Ellychniorum* non *ſine fœtore* extinguntur. At hic *curſus Philoſophicus* à vobis non eſt *inſtituendus*, aliter ducit *Apoſtolus* ad Rom. 13. Nos qui è *Chriſtiano* ſumus

4 Rom. 13.

ſumus peripato, non ut *Noctivagi*, non ut *circulatores*, ſed ὡς ἐν ἡμέρᾳ εὐσχημόνως περιπατήσωμεν, ſicut *in die compoſitè*, ſive *honeſtè ambulemus*, non in *commeſſationibus* & *ebrietatebus*, non *in cubilibus* & *proterviis*, non in *lite* & *invidia*, ſed ut *Apoſtoli*, ut *Prophetæ* & *Moſes* pede fauſto præceſſerint. De cujus *Tutoribus* à quibus ſic erat eruditus, moræ pretium erit in tranſitu pauca etiam adjicere.

4. Eruditum invenimus *Moſen*; ſed non levis oritur de *Præceptoribus* ejus controverſia. Nam ſi verum ſit illud, quod tradit *Artopanus* apud *Euſebium*, *lib.9. præparationis Evangelicæ* & *capite ultimo*, ſuffragante *Eupolemo*, apud *Clementem Alexandrinum* lib.1. *ſtromatum*; Tantum abfuit, ut *Moſes* diſceret ab *Ægyptiis*, ut illis potius *Author* extiterit omnis *ſapientiæ*. Sed præterquàm quod *Textus* iſti opinioni manifeſtò adverſatur; nec illud verum eſt aliorum, primò *Moſen literas* inveniſſe, & *Hebræis* tradidiſſe: Memorat ſiquidem *Ioſephus* duas *columnas* à *filiis Shethi* ante *diluvium* fuiſſe erectas, alteram *lateritiam* adverſus *prædictum ab Adamo* mundi *Incendium*; alteram *lapideam*, contra *impendentem cataclyſmum*, quam ſuo tempore in *Syria* extitiſſe, teſtatur lib.1. *Antiquitatum* cap.3. & in hiſce præclara *Patriarcharum* ante diluvium *mathemata* literis vel characteribus ſaltèm fuiſſe conſignata, & poſteritati commendata. Unde *Auguſtinus* literarum non *inventionem*, ſed *uſum*, non *Moſi* ſolùm, ſed & *Abrahamo* & *Hebro* attribuit, quod Conatur elicere ex *Deut.* 29.10. ubi *Moſes* recenſet γραμματεισαγωγεῖς (juxta 72.) hoc eſt *literarum inductores* (interprete eodem *Auguſtino*) inter cætera *Iſraelitarum* capita, quod mirum fuiſſet genus hominum, ſi *de literis* tunc temporis nil conſtitiſſet. Sunt qui *Enochi* etiam *Prophetiam*, ante *diluvium* conſcriptam, & à *Noacho* in Archa *conſervatam* fuiſſe aſſerunt, quam quidem vidiſſe & legiſſe *Tertullianus* & alii *Patres* profitentur, utcunq; in cenſu *Apocryphorum* à *Gelaſio diſt.* 15. *Can. Sancta Romana* habeatur. Sed hiſce non ulteriùs eſt immorandum. Inventionem *Sapientiæ Ægyptiacæ Broſardus* & *Roſellius*, unà cum *Petro Comeſtore*, ad ipſum *Miſraim* referunt. Quod inſtitutum autumârunt à *Chamo Noachi filio*, qui erat *Zoroaſter* (tantoperè à *Magis* celebratus, juxta *Vincentium* & alios) ſed tempora non cohærent: *Zoroaſtrum* ſiquidem legimus à *Nino* fuiſſe ſuperatum, qui aliquot ſeculis *Chamo* fuit poſterior. *Iamblicus* & alii nonnulli, hoc *Mercurio Triſmegiſto* aſcribunt, quem *libros* 36525. de *Philoſophia* ſcripſiſſe aſſerunt, ex *Seleuco* neſcio quo, & *Menæto*, è quibus 33. teſtatur ſe vidiſſe *Clemens Alexandrinus lib.6. ſtromatum*. Sed nec fundamentum habet *hæc opinio*; tum quia *Mercurius* iſte *Moſe* longè erat *recentior*, teſtibus *Euſebio* in *Chronicis* unà cum *Auguſtino lib.*18. de C.D. Nam *Mercurius* iſte erat *Filius Maiæ*, illa, filia *Promethei Atlantis* Fratris, qui *Atlas* tantùm erat *Moſi* σύγχρονος; tum quia *dialogi* iſti *Pymander* & *Aſclepius*, qui ſub nomine iſtius *Mercurii* hodiè cum *Roſelii commentariis* circumferuntur, apertè probantur *officioſa* eſſe *mendacia*, ab *hominibus* minimè *malis*, bono proculdubio *fine* excogitata, ab *Iſaaco Caſaubono* exercitat: in *Apparatum Baronii* numero 18. Stigmate notata. Alii igitur probabiliùs hanc laudem *Abrahamo* deferunt; ut *Eupolemus* apud *Euſebium Præparationis Evangelicæ*, lib.9. & cap.4. Aſſentiente etiam *Ioſepho*, *Antiquitatum* lib. 1. & lib.9. cap.1. ubi habetur *Abrahami Patriarchæ* cum *Sacerdotibus Ægyptiacis* celebris quædam *diſputatio*. Sed non favet *Sacra pagina*, ex qua conſtat, *Abrahamum* tam diu non manſiſſe in *Ægypto*, ut tantum *opus* abſolveret. *Auguſtinus* ex *Varrone* ad *Iſidem Inachi filiam* hanc refert gloriam; non quod ita ipſe prorsùs ſenſerit, ſed ut commodiùs *Ethnicos*, de *Antiquitate* ſua *triumphantes*, ex ſuis refelleret. lib.18. de C.D. cap. 18. de quibus fusè *Pererius Ieſuita* in cap.2. *Exod.* unde ultima reſtat *ſententia* veritati propior, *Abrahamum* primò *nonnulla* artium *fundamenta*, dum apud *Ægyptios* commorabatur poſuiſſe, quæ *Iacobus* poſtea & *Ioſephus* plurimùm illuſtrârunt. Hoc de *Ioſepho Pſalmiſta* innuit, *conſtituit eum* (ſcil. Rex. *Ægypti*) *Joſephum Dominum Domus ſuæ*, & *principem poſſeſſionis ſuæ*, ut *erudiret principes ejus ſicut ſeipſum*, & *ſenes ejus prudentiam doceret.* ps. 105. Atq; iſta concinunt cum *periodis* iſtis *literarum*, ſive *commigrationibus quarum* meminit *Ariſtot.* 1° de cælo & 1° *Meteororum*, & diſtinctiùs *Plinius* l.18. *Naturalis hiſtoriæ* cap.25. nempe *Chaldæa*, *Ægyptiaca*, *Græca* & *Romana*. Unde liquidò conſtat, & *Artes* apud *Egyptios* ante *Moſen* floruiſſe, in quibus commodè potuit, (ut habet *Textus*) eruditi. Nec veriſimile eſt, quod adducit *Philo Judæus* lib. 1. de vita *Moſis*, & ex illo *Clemens Alexandrinus* lib.1. *Stromatum*, accitos fuiſſe *Sapientes*, hinc *Chaldæos* ex *Aſia* qui in *Aſtronomicis*, illinc *Græcos* ex *Europa*, qui in logicis & *humanioribus diſciplinis* illum

Vid. Lud. Viv. in l. 18. *de C. D. cap.* 39.

שטרים

*Vid. Sixt. Senenſ. Bibl. l.*2. *in Cham. Rawleum Hiſt. p.*199.

*Ramus Schol. Mathemat. l.*1.

lum exactiùs instituerunt; quia *Stephanus* nil tale agnoscit, quod proculdubio in hoc *elogio* tacitus non præteriisset. Nec *Græcia* adhuc attigisset *istos* scientiarum *Thesauros*; quorum septem *celebriores Sapientes Mosen plus mille annis* sunt *secuti*. Quid, quod *Cadmus* ipse, qui à *Phœnicibus* ad *Græcos* nonnulla literarum *rudimenta* transtulisse dicitur, ad *Mosis* seculum non pervenit; quod copiosè confirmat in cohortatione ad Græcos *Justinus Martyr*, ubi Solonem sic Corripit, *sacerdos* quidam *Ægyptius* apud *Platonem* in *Timæo* ὦ Σόλων, Σόλων, Ἕλληνες παῖδες ἐστε ἀεί, γέρων δ' Ἕλλην οὐκ ἔστιν. O *Solon*, *Solon*, vos *Græci pueri semper estis*, neq; quisquam est *Græcus senex*. Prostat etiam *Tatiani Assyrii* ad *Græcos* oratio, in quo nihil *eorum*, quibus isti gloriantur *studiorum*, apud *istos* ratum, sed omnia à *Barbaris* inventa fuisse demonstrat. Maneat igitur *Mosen* non alios habuisse *Præceptores* præter *sacerdotes Ægyptiacos*, à quibus sic *Deus* voluit ut exactè institueretur, (explicante *Pererio* disputatione 9ª in 2. *cap. Exodi*) ut tanto *majori* esset in *pretio* apud *Pharaonem* & *subditos*, qui rudes *istius sapientiæ* vulgò habebant despicatui. Fuit autem *Moses magnus* coram *servis Pharaonis* & *omni populo*. Exod. 11. Deinde, non parùm conducit ad *Superstitiosos* convincendos tenere ipsorum *placita*; unde *Salomon*: *dedi cor meum, ut scirem prudentiam atq; doctrinam, errores etiam atq; stultitiam Ecclesiast.* 1. Postremò non pauca *virtutum* & *vitiorum symbola*, ab *injustis* istis *possessoribus* erepta (ut loquar cum *Augustino* lib. 2. de *doctrina Christiana* cap. 40.) in *legibus* postea tradendis, ex *præcepto Dei* retinuit, si *Clementem Alexandrinum* lib. 5. *Stromatum* audiamus; unde non irritum prorsus erat *illud studium*, quod ad *usus* tandem *salutares* tam commodè transtulit.

5. Atq; *usus* iste est, qui à nobis præcipuè est respiciendus, (viri *Patres* & *Fratres*) ne *Indocti* surgant & *rapiant* nobis *Cœlum*, dum nos de hujus *mundi titivilitiis* sophisticè altercamur. Observastis proculdubio ex *dictis*, non tantùm *originem* literarum cum mundi *incunabulis* Coævam, sed multo magis illarum *fluxus* & *refluxus*, ad morem *æstuantis Oceani*, quibus placuit *Divinæ sapientiæ*, à *Patriarchis* ad *Gentes*, à *Gente* una ad aliam, illas circumducere; vel ut sequenti *Reginæ Theologiæ*, velut *Anteambulones* quidam pararent hospitium; vel ut *istis* cohibita *retinaculis*, non prorsus in *belluinam* degeneraret depravata hominis Conditio. *Commigrationes* gentium manifestæ sunt, apud *Historicos*; sed *commigrationes Artium* à nobis sunt potiùs attendendæ. Postquam enim à *Chaldæis* ad *Egyptios*; ab *Egyptiis* ad *Græcos*; à *Græcis* ad *Romanos* quasi *raptu primi Mobilis* circulum confeciissent. Per *Romanos* tandem *Alpes* superarunt, & *Tramontanas* hasce *oras* gratissimi *hospites* invisérunt. Illas tandem accipit nostrum hoc *Oxonium*. Multa ut paucissimis complectar, *radices* hic egerunt, germinârunt; Quid antiquiora recolerem de *Wiclefo*, *Bacono*, *Scotis*, *Occamis*, toto tunc orbe celeberrimis? Vnde *Argumentum* ab *Oxonio*, idem est *Scaligero*; ac *subtilissimum* & *firmissimum*. Nec *degeneres* accesserunt ad *Reformationem* illorum *Posteri*, *Juelli*, *Humfredi*, *Rainoldi*, *Abbotii*; notissima sunt hæc, & attigisse sufficit. At nos *Scenam* ingressi, quomodo vestigiis ipsorum insistimus? Certè non aliter ac *Histriones Regum*. Isti de genere *Giganteo*, quibus nos *comparati*, *Locustæ* jure reputemur. Atq; si defuissent nobis *præceptores*, si *Bibliothecæ*, si *Libri*, si distraherent *Bella*, vel fames, vel *persecutio*: Si ad *manum* non fuissent omnia, non dico *necessaria*, sed *superflua*, sed votis penè nostris *majora*, *excusationi* fortasse pateret latebra; quâ saltem inter nos *domi* satis noti, ab *æmulis* tamen undiq; non ita *Lancinandi* videremur: Nunc verò cùm in ipsa *fronte Academiæ* (sicut olim contigit *Mariæ Mosis Sorori*) *candescat lepra*, cùm eò deventum tandem sit, ut nec *vitia nostra* diutiùs ferre possimus, nec *remedia*; Excitandus est potiùs à nobis *aliquis Moses*, qui attollat *manus* & *oret*, *obsecro Domine*, ne *imponas nobis hoc peccatum*; quàm *proponendus* ad *imitationem*, præsertim *iis*, qui transferunt *Domini* gratiam in *luxuriam*. Olim quadrabat illud in *Monachos*; *Ecclesiam* primitùs habuisse *ligneos calices*, sed *aureos Sacerdotes*, Posteà verò *Sacerdotes ligneos*, & *aureos calices*. Caveamus, ne mutato *nomine simile quiddam* de nobis affirmetur, olim *ligneas scholas aureos* extulisse *Baccalaureos*, nunc *parietes* erigi *magnificos*, sed ubi tandem inveniendi sunt ex prisca disciplina *Scholares*? Verendum est profectò (*Fratres*) ne sicut fumus tandem *deficiat* illorum gloria, qui *fumo* tantum delectantur. Cogitate vos primò in *lucem* prodire, & *collocatos* esse in *hoc loco*, tanquam in *specula*; ubi omnium oculi in vos sunt conjecti. Observant *status vestros* & *ambulacra*, inquirunt in *mores*, *otia*, & *negotia*; prædicant *illi* in *Tecto*, quod occultò fuerit actum in *interiori domus recessu*. Quanta igitur debet esse nostra *solicitudo*, ne *Mater*

5

Num. 12.

Jud. 4.

6 luat *Filiorum* opprobria, & transferantur à nobis hæc *Musarum Halcionia*, ad eos, qui *fructus* uberiores producerent. Certè si genio indulcisset *Moses*, *plateas* circumcurritâsset, fumum *Nicotianum* perpetim hausisset; si *præceptores* neglexisset, resiliisset ad *difficultates*, *tædium* inquirendi non *devoraſſet*, substitisset quasi *satiatus* ad unius artis *Systema* (ut hodiè loquuntur) sive *compendium*; nunquam *eruditus evasisset* in *omni sapientia Ægyptiorum*. Quod quanti fuerit *sudoris*, & *infiniti* penè *moliminis*, opportunum jam videtur, ut tertio inquiramus.

6. *Et eruditus erat Moses*] idq; ut verisimile est ab *Ægyptiis Sacerdotibus*, non in *hac* vel *illa* tantùm *difficultate*, *quæstione* vel *articulo*, (sicut *abhortivi* quidam ὀπτυλλίας & σφιγμαλία apud nos, qui *micas* quasdam *Logices* & *Physices* ruspantes, cæteras omnes *gemmas sicco pede* transiliunt) sed in in *omni*] non *arte* tantùm & *scientia*, sed *sapientia*] quæ *utrasq;* complectitur; non *Hebræorum*, quos dilexit, sed *Ægyptiorum*] inter quos vixit. Non dubito, quin idem vobis in mentem venerit *audientibus*, quod mihi *meditanti*, scire jam libenter velitis, quænam fuerit illa חכמת מצרים illa *sapientia Ægyptiorum*, in qua *Moses* noster erat *eruditus*; ut inde *comprehensi* aliquid vos etiam teneatis, quo exactiùs ad *tale exemplar* conatus vestros accommodaretis. Circumferuntur (ut nostis) 14. *libri* sub nomine *Aristotelis*, de *secretiori parte divinæ sapientiæ juxta Ægyptios*. Hos *Italicos* fecit ex *Arabicis Moses Rovas*, *Latinos* ex *Italicis*, *Petrus Nicolaus Faventinus*; perpolivit postea & edidit *Iacobus Carpentarius*. Sed dubitant *Docti*, an *partus* iste sit *Aristotelicus*, vel ab *Arabico* quodam *Tenebrione* suppositicius. Certè præter *speculationes* nescio quas *steriles*, de *Mentibus* & *separatis substantiis*, de *Ægyptiaca sapientia* (prout ad nostrum spectat institutum) vix *integram* invenies *sententiam*. Hujus igitur potiùs *synopsin*, ex infinitis sparsim antiquioribus contextam, per *Sixtum Senensem* lib. 2. *Bibliothecæ* sic habete: Sapientia *Ægyptiorum* quadruplex invenitur *Mathematica*, *Physica*, *Theologica*, & *Moralis*. Mathematica (juxta *Diodorum Siculum*, *Diogenem Laertium*, *Iamblicum*, *Philonem Iudæum*, & *Christianos*, *Clementem Alexandrinum*, *Eusebium*, *Augustinum* & alios) reducitur (ut vulgò fit hodiè) ad *puras scientias* & *mixtas*. Mathematicæ *puræ* sunt, *Arithmetica* & *Geometria*, mixtæ *Astronomia* & *Musica*, Græci addunt *Opticam*, sed non invenio, an hæc *Ægyptiis* Antiquitùs innotuerit. Physicam illorum agnoscunt omnes à *Peripatetica nostra* (nisi forsan in modo proponendi) non multum differre. Sed *Theologia* illorum erat aliquo modo abstrusior, juxta *Clementem Alexandrinum* lib. 5. *stromatum* secundum illorum *triplex* scribendi *genus*. Prima erat ἐπιστολογραφικὴ, in usu vulgò ad scribendas *Epistolas*, quam commodè quis reducat ad *Grammatico-Rhetoricam*. Secunda ἱερογραμματικὴ, *peculiaris* tantùm *Sacerdotibus* in rebus *sacris* delineandis. Sed palmaris erat *tertia* ἱερογλυφικὴ, per *sculpturas* quasdam in morem *Emblematum* obscuriùs tradita, quæ rursus erat *bipartita*, Κυριολογικὴ, & συμβολικὴ (utor Terminis *Clementis* à vobis sat scio, satis intellectis, licet ulteriùs non explicentur) & in *tanta* varietate rerum, ferenda sunt *compendia*, ut exitus tandem inveniatur. Κυριολογικὴ ista *scriptura* literas proposuit *usitatas*, sed verba *mysterium* adumbrantia, exempli gratia. *Ibis* à *Scarabeo accipitris pulchritudinem* participat, hoc est *Luna* à *Sole*, *Dei pulchritudinem*, nempe *lucem* mutuatur; quæ *imago* est *divinæ pulchritudinis*, συμβολικὴ vero quæ *res secretiores* non per *literas*, sed per *Imagines quasdam* (ad morem *Scripturæ*, quam habemus *Mexicanæ*) exhibuit. Tripartita rursus fuit; *Imitativa*, *Tropica*, & *Ænignatica*: *Imitativa* retinuit in *charactere* rei significatæ *quandam similitudinem*, ut *Solis* in *circulo*; *Lunæ* in *Menisco*: *Tropica*, *conditionem*, vel *aliquam* saltem *analogiam*, ut *fortitudinis* in *leone*, *libertatis* in *equo*, *impudentiæ* in *Crocodilo*, in *pisce odii*. *Ænignatica* utriusq; *commistionem*. Ita *sceptrum oculatum* & *auritum*, *Deum* omnia *moderantem*, *videntem* & *audientem* depingit. In quo genere celebre est illud *Scytharum*, referente *Sixto Senense Hieroglyphicum* apud Pherecydem *Syrum*. Quorum Rex *Idanthurus*, *Dario* vastitatem illis per *literas* minitanti, *Murem*, *Ranam*, *Avem*, *jaculum* & *aratrum* remisit. Quibus interpretatus est *Orontopagas Tribunus* militum, significare se *illos* per *Murem habitationes*; per *ranam*, *Aquas*; per *avem*, *aerem*; per *jaculum arma*; per *aratrum*, agros *Dario* tradituros, sed sagacior *Xyphrodres* quidam è contrà hunc sensum subolevit; Nisi *Persæ* tanquam *aves* avolarent, aut tanquam *mures* terra, aut *ranæ* aquâ, quam citò se absconderent, parata sic fuisse in eos *Scytharum jacula*, ut qui *cæsi* non erant, *captivi* ad aratrum relegarentur. Atq; sub talibus latuit *involucris Ægyptiorum Theologia*, ne *vilescret* nimiùm accommodata

ad

ad *vulgi* captum. Quarta ſpecies ipſorum *ſapientiæ* erat moralis, complectens (ut apud *Peripateticos*) *Politica* ſimul cum *Oeconomicis*, cujus *leges* & *inſtituta Mercurius* ille *Triſmegiſtus* (ſic dictus quia *Philoſophus*, *Sacerdos*, & *Rex maximus*) deſcripſiſſe legitur. Contractiùs hæc proponunt *Hieroglyphici* in *tribus circulis* inter ſe *connexis* & *intermediis*, ut invenietis apud *Pierium* lib. 38. quibus totam *Encyclopediam*, in *Rationali*, *Naturali* & *Morali* cognitione comprehenſam exhibent. Hiſce *circulum majorem*, reliquos ipſos *tres minores* ambientem circumducunt, quo *Theologiam* deſignant, ut inde innoteſceret, primò *artes iſtas ancillares* ita *complexis* quaſi *brachiis* incedere ut impoſſibile ſit, *unam* perfectè tenere abſq; alterius quadam notitia. Deinde omnes ita *junctim Theologiæ* famulari, ut non audent extra ipſius limites vel *latum unguem* evagare. Quæritur hîc opportunè, num *chymia* etiam & *Magia*, non *naturalis* illa, ſed *diabolica*, qua *Iannes* & *Iambres Moſi* reſtiterunt. 2. Tim. 3. ad hunc orbem *ſapientiæ Ægyptiacæ* pertinuerint? chymiam floruiſſe apud *Ægyptios*, evincerent nonnulli ex nomine ipſo, quod à *Chamo Noachi filio* profluxiſſe autumant, Authore *Delrio Ieſuitâ* lib. 1. *diſquiſit. Magicarum* cap. 5. q. 1. ex *libro Plutarchi* de *Iſide* & *Oſiride*; & ex *libro Mercurii Triſmegiſti* de chymia, qui nuper è *Germania* lucem aſpexit. Sed vel *incerta* ſunt iſti omnia, à *Tenebrionibus* talibus nugis *addictis* excogitata, & *credulis* obtruſa; vel ſeriùs iſta *Ars Chryſopoetica Ægyptiis* innotuit. Quanquam libros eorum ea de re *uſtulatos* fuiſſe, in *Diocleſiano* apud *Suidam* accipimus. Diabolicis autem *ſuperſtitionibus Moſis* ſacratum ingenium indulſiſſe, tam *alienum* videtur à vero, quàm ille à talibus *Impoſtoribus*. Rectè *Irenæus*. Novit forſan hujuſmodi, ſed ut *refelleret*, non ut *amplecteretur*, habuit *ſcientiam*, ſed non *uſum*.

7. Prolixior fui, quàm par erat, in iſtis *abſtruſioribus* ad certa *capita* revocandis, unde reprehenduntur quidam, qui *artes omnes* ut *Theologiæ* noxias averſantur. Vetus eſt hæc quærela, & ab *heroicis* ducta *temporibus*; quapropter non ſupervacaneum prorſus erit, quid de hac re ſit ſentiendum paucis attexere, & *objectamentis* contraſentientium ſtrictim reſpondere. Ingerunt primò illud *Apoſtoli: Videte ne quis vos deprædetur per Philoſophiam Coloſſ.* 2. & abolebo *ſapientiam ſapientium*. 1. Cor. 1. & *ſtulti facti ſunt* (nempe *Ethnici Philoſophi*) in *ratiocinationibus ſuis*, ad Rom. 1. ratio videtur aperta Geneſ. 6. Quia *Omne figmentum cogitationum cordis humani* רק רע *tantùm* eſt *malum*, & qui accumulat *talem ſapientiam*, *accumulat dolorem* Eccleſiaſt. 12. ſed facillimè iſta *inde* diſſipantur *unde* fuerant *collecta*. Non enim loquitur *Apoſtolus* abſolutè de *Philoſophia*, ſed de *inani* (ut ibidem *Textus* habet) per *Philoſophiam* deceptione; quæ *juxta traditionem hominum* eſt, *& elementa mundi*, & *non ſecundum Chriſtum*. Nec rejicit *Solomon* ſimpliciter *humanam ſapientiam*; ſed comparatè, ad *cæleſtem doctrinam*; quatenùs *illi opponitur* à malè *inſtitutis quibuſdam Philoſophis*, nec *illi* ut oportet, *inſervit*. Jam quòd ſecundò adferunt ex *Patribus*, *Tertulliano*, *Lactantio*, *Cypriano*, *Chryſoſtomo*, *Ambroſio*, *Hieronymo*. Item ex *concilio Carthaginenſi* 4. cap. 16. *Epiſcopus Gentilium libros non legat*, ut nec *Hæreticorum*; niſi pro *neceſſitate*, aut *tempore*, referente *Gratiano diſt.* 37. *Canone Epiſcopus*; Vna eadémq; manus vulnus opemq; tulit. Nam *explicant* ſeipſos ibidem *iidem Patres*. *Ambroſius*, *legimus aliqua*, ne *negligantur*, *legimus* ne *ignoremus*, *legimus* non ut *teneamus*, ſed ut *repudiemus*, velut *Hæreticorum* & *Ethnicorum libros*, ſicut *Gloſſa* interpretatur. *Hieronymus*, *diſcimus iſta*, non ut *ſequamur*, ſed ut *judicemus*, ſicut *Moſes Ægyptiorum ſapientiam in cap.* 1. *Danielis*. Ad *Paganorum vanitatem revincendam*, addit *Auguſtinus*, lib. 13. contra *Fauſtum Manichæum* cap. 16. non ad *Authoritatem amplectendam*. Ad *Eruditionem* (quæ *Gratiani* eſt *determinatio*) non ad *voluptatem*; ideoq; aſſerit, *Gregorium Epiſcopum* quendam reprehendiſſe, non quòd *Grammaticam didiciſſet*, ſed quia vice *Evangelii* hujuſmodi populo exponebat. Tertiò nugantur iſti *ignorantiæ Patroni*, *Rationem* ſubjiciendam eſſe *Fidei*, nec ſpiritum ſanctum includi *cancellis Philoſophicis*. Quis dubitat? Nec enim opponimus *Philoſophiam Theologiæ*, ſed *ſubordinamus*; volumus ut ad *Theologiam*, & ad *cæteras profeſſiones* viam ſternat, non ut in *illis* aliquid præcipiat. Vel præcipiat de *tractandi modo*, non de *rebus tractandis*. At myſteria (inquiunt) divina non congruunt *regulis Logicis*, Et multa occurrunt in *Philoſophia*, præſertim *Peripatetica*, quæ *Theologiæ* adverſantur, Ut fusè docet *Lutherus* & *alii*. Reſpondetur, quæ *ſupra rationem ſunt*, rationem *non tollunt*, ſed *perficiunt*, & ad *altiora* per fidem elevant, ſi quid autem in *Philoſophicis* occurrat, quod *fidei certitudini* non cedat, *Artificibus* imputandum eſt, non *arti*, quæ flectenda eſt ſemper ad *illius normam* à qua omne bo-

7

Iuſt. in lib. quodam cont. Ariſt.

8 num deſcendit. In ſumma, *errores Philoſophorum* non ſunt *præcepta Philoſophiæ*; nec negat, vel oppugnat *Philoſophia*, quæ non *tractat*, ſed *ſublimioris* eſſe *ſpeculativnis* agnoſcit. *Tertulliani* aut *Cypriani* errores nemo impingit *Theologiæ*, ut nec *Galeni* aut *Paracelſi*, Medicinæ. Non invenient igitur in hujuſmodi *offuciis* moleſti quidam *Declamatores* aliquod inertiæ ſuæ tectorium, qui *ſapientiam* hanc *multiplicem*, quam *capere* ipſi non poſſunt, *carpere* non deſiſtunt. Nam ut rectè *noſter Baconius*, *operis minoris Secunda parte* & 6. capite, ut *domus* firmiter *ſtructa* & *munita*, tum imprimis grata ſentiatur, cùm *tempeſtates ſeviunt*: Ita *Logica*, *Mathematica* & reliqua iſta *Ægyptiorum ſpolia*, tum locum inveniunt; aut cum domi *difficultates obſtruſiores* ſolidè ſunt expediendæ, aut *foràs*, cùm hoſtis Panurgos talibus *machinis* & *cuniculis*, finibus noſtris inſidiatur. Quid enim *Juliano* aut *Luciano* alicui reponeret Ἀγοραῖος *Theologus*? Qui *arcam*, ut minùs *anguſtam Noacho*, & tot *animalium ſpeciebus* irrideret? *Atq; eruditus ut Moſes*, demonſtrabit cum *Buteone* non fuiſſe tantùm *Noacho*, & *animalibus* locum, ſed *ſpacium* etiam *ſatis amplum* ad alimentum illis neceſſariò recondendum. Ita *Ægyptiacis* inſtructus *theſauris*, ex ore præpotentis *Dei*, obſervabit in *ſacris literis*, de *fabrica mundi*, de *terræ baſibus* & *valvis*, de *maris vinculis & vectibus* oracula *Phyſica*; oracula *Optica*, de *Fontibus* & *incunabulis lucis*, & *tenebrarum*; Oracula *Aſtronomica*, de *Mazzaroth*, *Orione*, *Arcturo*, cum *Filiis ſuis*; Oracula *Geographica* de *Terræ menſurâ*, & *Regionum ſitu*; Oracula demum *Chronologica*, de *Feſtis* & Annorum *periodis*, ſive Epochis; oracula demum *Iſoropica* de *Ponderibus* & *Menſuris liquidorum* aut *Siccorum*, quæ neceſſe eſt ut *alius* harum rerum neſcius, aut ſicco pede tranſiliat, aut turpiter ſuam *ignorantiam Profanis* deridendam propinet. Si unquam igitur recurrendum eſſet ad *hæc arma*, arripienda jam ſunt præcipuè (tanquam *Aſinæ maxilla* à *Sampſone*) ad obſidentes undiq; *Philiſtæos* reprimendos. Etenim, ut illorum Tricas non immorer, qui ſua *ſomnia* proponunt *incautioribus* ſub nomine *Sobriæ Philoſophiæ*; Quis *Imperitus Logices Jeſuitica* hæc commodè diſcutiet? *propoſitio mixta ex vocali & mentali eſt legitima?* quis *Phyſices* aut *Metaphyſices* ignarus, *refellat*, aut *intelligat* ipſorum *placita* de *quantitate ſine extenſione*, de *corpore ſine loco*, de *Accidentibus* ſine *ſubjecto*, de *Materia* ſine *forma*, de *potentia* quadam *obedientiali activa*, qua divina *vis infinita* creaturæ communicetur? Quæ quidem *latenter* inſtillant *Philoſophicis*, quò faciliùs (quæ his innituntur) *opinionum* quæ alunt *monſtra*, in *Theologicis* admittantur. Profitetur hoc *Franciſcus Zuarez Diſput. Metaph.* 5. q. 3. diſput. 14. *Tenendum eſt* (inquit) *in corruptione remanere quædam accidentia in materia*, quia *hæc opinio magis favet veneration reliquiarum*. Sic confirmare conatur *Albertinus* ſpiſſo volumine, *dogmata* omnia *Pontificia*, ex principiis *Philoſophicis*. Quod & *Gretſerus* ante eum tentavit, ex *proverbiis Germanicis*. Ita undiq; inſpergunt *fermentum* ad *totam maſſam* corrumpendam. Quo *ſuſpectiores* debent eſſe vobis (*Adoleſcentuli*) & cautiùs *legendi*, niſi *parato* & *acuminato ungue*, ut hujuſmodi notentur. Poſtremò, cur ità invaluit nuper *Sociniana* & *Pelagiana hæreſis*, niſi quia ἄλογοι quidam & ἀπαίδευτοι inciderint in *ipſorum libros*, qui inter *Sophiſticas* quaſdam *ſubtilitates*, & *ſolidas conſequentias*, non didicerunt antè diſtinguere? *Aranearum* (ut noſtis) *telæ* ſunt ſummo *Artificio* contextæ, & *Poma Sodomæ* aſpectu primo ſunt ſpecioſa, ſed ſi *hæc* vel *illæ* rigidius paulò tractentur, facilè *diſſolvuntur*, & in *cineres abeunt*. Quàm autem laudabile fuit *Cuſhæo*, *Achitophelem* propriis artibus ad *ſuſpendium* adigere? Et *Davidi Goliatho* caput *proprio Gladio* amputare? Utcunq; autem intumeſcunt *Jeſuitarum utres*, pungas tamen illas (ut oportet) & ſentias citò flacceſſere. Sed opus eſt hic *induſtriâ*, opus eſt *nocturnâ* & *diurnâ manu* & *calamo*, nec abeſſe debet *acumen*, aut *aſſidua*, & *accubua exercitatio*, non deflectendum eſt ad *Epicuræorum ſympoſia*, aut *Stoicorum ſchiſmata*, (qui inter cæteras *omnes ſectas* antiquitùs *Paulum* oppugnarunt Act. 17.) ſed *Majorum veſtigiis conſtantèr* eſt inſiſtendum. A *Grammaticis*, & *linguis* ad *Rhetoricam*, ab his ad *Mathematica*, *Phyſica*, *Moralia*, *Metaphyſica*, ab iſtis, ad *altiora*; prout exigunt hujus *loci ſtatuta*, gradatim eſt aſcendendum. *Moſes Baccalaureus* hîc (ut videtis) vel *Magiſter* inter *Ægyptios*, inter *Hebræos* poſtea *Doctor* & *Ductor* emicuit. Quanto autem cum profectu, reſtat *ultimò*, ut jam penſitemus.

Iob. 9. 9.
Iob. 32. 38.
Amos. 5. 8.

8- *Erat q̃, potens in verbis & operibus ſuis*] *Quid voveat dulci Nutricula majus alumno, quàm ſapere & fari docte, quæ ſentiat?* Habete in vobis *Sal* (clamat Salvator) Marc. 9. à cujus admonemur *tribus literis* (ut curiosè obſervat quidam) *Sapere*, *Agere*, *Loqui*. Sed quemadmodum *ſapientia* ſine *eloquentia* (conferente rectè *Bacono* noſtro)

eſt

est quasi *gladius acutus* in manu *Paralytici*: Ita *eloquentia* sine *sapientia*, est velut *gladius acutus* in manu *furiosi*, vel *ut Cicero*, inanis linguæ *volubilitas*. Utrisq; hîc ergo instructum Mosen nostrum deprehendimus. Nec *leviter* (ut fit) ad speciem, [ὡς ἐν παιδιᾷ] sed erat *potens*, non ut *gregalis* aliquis è *literionum turba*, sed ut *Formatus* divinâ manu ad *destinatam vocationem*. Non *dictis* tantùm persuadens, sed *factis* comprobans, se cœlitus à *Deo* fuisse *selectum* ad *populum* è servitute vindicandum. Quod quibus *signis* & *prodigiis*, quibus in *obduratos plagis*, quâ *viâ*, quâ *vi*, quo *successu* effectum dederit, non opus est ut multis recenseam. Illud potiùs cogitandum, quâ *ratione* hæc praxis *Mosis* ad *nostram imitationem* transferatur. Ergò *duplex* hæc in Mose *excellentia* nobis semper est *ob oculos* ponenda, ut eruditi pro modulo in *omnibus artibus* & *scientiis*, non *taceamus* demum, aut *segnescamus*; sed in *dictis* simul & *factis* eluceat Educatio.

9

9. Atq; hîc si *paulo liberiùs* vobiscum agam (candidati *Juvenes*) in notandis nonnullis *impedimentis*, & ad *Ideam propositam* expendendis, non erit (ut spero) quispiam, qui *sinistrè* illud accipiat, quod *dextrè* in rem suam porrigitur. Applicet unusquisq;, ut lubet, ipse ex *proprio sensu* loquar, non facilè quispiam se accommodabit ad *Mosis normam*, nisi *quasdam voragines* & *scopulos* (quæ profectui in hoc *cursu literario* periculosè objiciuntur) sedulò à principio declinet. Atq; ut *generalia quædam impedimenta* non recenseam nobis cum *Transmarinis* communia; mihi videntur hujus loci *Morbi*, numero *scientiarum* pares, qui quamdiu grassantur inter vos *Juniores*, necesse est ut plurimi in *instituto* à vobis *curriculo* languescant admodum periculosè, aut *deliquium* patiantur. Primum est ἀμαθόδια præpostera in *Artibus aggrediendis*, & discendis. Nam quotusquisq; penè est, qui non *refugit limites* à *Majoribus* positos? Etenim ut de *linguis* taceam, quas nonnulli hodiè *elatâ superbiâ* ut *triviales* nimiùm despiciunt, quot quæso inter vos numerantur, quâ *totam logicam* absolverint, priusquam in *physica* (forsan etiam & *Metaphysica*) importunè se ingesserint? in quibus etiam non *certus Author* proponitur, nec *legitimus* progrediendi *modus*; sed *Fragmenta quædam*, aut *quæstiunculæ* temerè arripiuntur, quæ quam *sedem* teneant in *tota* scientiæ *structura*, & *antecedentibus* rectè annectantur, aut sequentibus, quæ *vita* est *memoriæ*, (observante *Aristotele* 8. *Topicorum*) non admodum sumus soliciti. Desultatoria ista *levitas* quâ *volatica* laborant *ingenia*, abducit semper ab hac *Mosis orbita*. Nam qui vult esse *eruditus*, non *successivè*, sed *in omni* simul *scientia*, periculum est, ne *in singulis* hallucinetur. Non per *Abrupta* igitur *ascensum* quærat *Candidatus noster*, sed ut scripsit *Lucas Evangelium* καθ' ἑξῆς *ordine*; ne fortè (ut loquitur *Apostolus*) de oscitanter *audientibus* παραῤῥυῶμεν, temerè *præcipua* præterfluamus ad Heb. 2. Siquidem in tanta *scriptorum* & *librorum varietate*, nescio an *præcipuam* hodiè sit instituti cursus *vehiculum*, *delectum* facere, & singula ritè disponere. Secunda hujus cursus *Remora*, est *affectata* quædam *Neotericorum imitatio*, & *Admiratio*; non tantùm in *dogmatibus* ipsorum *amplectendis*, & *asserendis*; sed etiam in *phrasibus* & *stylo*: Si prodeat vel *Logica Mexicana*, vel *Keckermannus* quispiam, aut *Alstedius* in *Philosophicis*; vel *Turnerus*, aut *Lipsius*, aut *Famianus* à *Strada Epistolis* aut *Orationes* emittant, statim actum erit de *Aristotele* & *Cicerone*, qui *Majoribus* fuere in deliciis. Acerrimè hoc perstringit *Baconus* in sui temporis *studiosis*, quod *Albertum Magnum* dum adhuc esset in *vivis*, urgebant ut *Authorem Classicum*. Non ego cuiquam hîc *laudabili scriptori* quicquam detraho, vel *exercitationibus ingeniis* præscribo; tantùm *moneo evagari* ipsos, non *progredi*, qui nimium sibi ipsis *placentes*, præjudicio mallent *proprio* niti, quàm *Patrum* experientiâ. *Tertium* accedit studiorum *obstaculum* compendiorum & *systematum Abusus*, siquidem hisce Capti nonnulli, ad *quæstiones explicatiores*, *Commentarios*, & molestam *Antiquorum* investigationem statim nauseant. Imponere præcipuè hoc fuco non tàm *Ramistas* quàm *Romanistas* observavit solertissimè Rex Iacobus *perspicacissimus*. Sic ut *Dictatores* audiant *Literatorum* (quod ambitiosè affectant) hoc præsertim nomine quia ex *dictatis* sapiunt. Tales autem perinde mihi facere videntur, ac si quis *Biblia* solùm legeret per *argumenta capitum*; aut *Patrum scripta* per *indices*. Interim *synopses* non simpliciter *rejiciendas* putaverim; possunt esse *Introductoriæ* ad *pleniores* tractatus; possunt esse *summaria* ad revocanda ea quæ legimus; tantùm nollem, ut *studiosus* in illis *acquiescat* & *turgeat*. Nam ita incidit in ὀξοσοφίαν *Iesuiticam*, quâ se magnificè circumspicit; *Doctiores* sistit ad *tribunal* suæ vertiginis; quod *Quartum* esse existimo ad metam tendentibus obicem. *Quintum*

10

impedimentum videtur esse *neglectus* istius ἐπιτύξεως de qua loquitur *Aristoteles* 1. Topic. cap. 2. Hoc est *collationis mutuæ*, sive *congressus*, quâ *lecta* vel *audita* firmiùs memoriæ imprimantur, ut quæ *singulorum sunt*, omnibus communicentur. Nam inter

In Phædon. principio.

præcipuas studiosi *virtutes*, ἀεὶ τὰ ἄλλα λέγειν, quæ didicimus, aliis *explicare*, enumerat *Plato*; à quibus quæ *liberè* impertimus redeunt sæpiùs cum *fœnore*. Hanc *laudabilem* Antiquorum *consuetudinem*, nescio quæ *Recentiorum* expectoravit φιλαυτία, qui illud *omissum* existimant, quod *privatæ observationis* non *publicum* lucratur *applausum*. *Sextum* sequitur, nonnullorum *Bacchica* quædam *Intemperies*, quâ sub prætextu *liberioris genii*, *ingenia* & *collati gradus*, non sine summo *Religionis*, *famæ*, & *Academiæ scandalo*, *potui* & *fumo* consecrantur: De quibus quid dicam (*Fratres*) Periculosiùs *hi* reconduntur in *popinarum carectо*, quam ut per omnes *ministros Regios* possint indè cum *Mose* extrahi. *Ultimò* noxia est huic *progressui*, *præpropera* aliorum ad *praxin festinatio*. Hi docere *gestiunt*, priusquàm rectè aliquid didicerunt; quos hodiè *hærentes* in *parvis*, cras intonantes pro *Concione* conspicies. Utinam seriò illud excolerent, quod *summâ* cum *eruditione* & *gravitate* superiori *anno* ex *hoc loco* acceperint; tum fortassè diutiùs sederent in hac *Civitate*, quoadusq; *virtute ab Alto* essent instructiores. Nec capitibus *Doctorum* imminerent, priusquam ad pedes alicujus *Gamalielis*

Per. D. Kilby Ling. S. Professf. Regium.

Tyrocinium deposuissent, cursumq; suum confecissent. Atq; isti sunt *scopuli* (*Adolescentes Ingenioſi*) ad quos *quamplurimi* illiduntur. Istæ *syrtes*, quas *humilitate*, *Constantiâ*, φιλαδελφία, invictâ animi *fortitudine*, seriâ *Dei invocatione* superavit *Moses*, ut tandem *Terram promissam* cum *populo Dei* consequeretur. O si easdem *flammas* conciperent *juvenilia vestra pectora*, quàm juvaret tandem (*passibus* licèt non *æquis*) tam illustria *tanti Herois* premere vestigia? Nam quid *hæc historia* nos admonet, inquit *gravis Author Gregorius Nyssenus*? Nil aliud profectò, nisi cùm omnes *inimicos* deviceris, *Ægyptium*, *Amalecitam*, *Idumæum*, *Madianitam*, cùm *Aquas* transieris, cùm *nube* illuminatus fueris, cum *ligni* virtute dulciores aquas biberis, *lapidis fluenta* potaveris, cœlestem panem commederis; cùm *munditate* & *castimoniâ* iter tibi ad *montem* confeceris; cùm *Tubarum* sonitu in *monte*, *divina Sacramenta* didiceris; cùm in *caligine* vix *penetrabili* ipsi Deo *appropinquaveris*, ac ab eo *Tabernaculi* mysteria, & *Sacerdotii dignitatem* perceperis; cùm tui cordis fueris *lapicida*, ut in ipso *divina eloquia* à Deo *exararentur*; cùm *aureum idolum* deleveris, hoc est avaram *cupiditatem* è vita sustuleris, cùm adeò *exaltatus* fueris, ut *Baalamicis artibus*, aut *Jesuiticis* capi nequeas; cùm tibi germinaverit *Sacerdotii virga*, non *humiditate* terrenâ, sed à *seipsa* nucem producens, cujus *cortices* amari & austeri, *nucleus* ad comedendum *suavis* & *utilis*; cùm omnes qui audent *adversus te* insurgere, aut *terrâ obrueris sicut Dathan*; aut *igne* absumpseris, ut *tumultuantes* in causa *Corah*; cùm constitutus in æditiore hujus terræ *tumulo*, oculis neutiquam *caligantibus*, & facie radios ejaculante *cœleste Canaan* aspexeris; intrabis tandem in *optatum Domini gaudium*, non *hominibus*, sed Angelis ducentibus exequias. Ad *tale* nos effingat *exemplar*, *Deus Pater in Filio* per Spiritum Sanctum, cui uni & soli sit omnis laus, potestas & Majestas, in sæcula sæculorum.

Lib. 1. de vita Mosis ad finem.

AMEN.

FINIS.

CONCIO II.ª

Habita ad

ARTIUM BACCALAUREOS

In *Die Cinerum de Chriſti Adoleſcentia.*

Luc. 2. 49.

Tum dixit ad eos, quid eſt quod quærebatis me? An neſciebatis oportere me in iis eſſe, quæ patris mei ſunt?

CHRISTUM adductum & relictum *Hieroſolimis* quæſirum poſtea à *Parentibus*, & poſt triduum inventum, ſedentem in *medio Doctorum*, & negotia *Patris* peragentem, compellatum demum à *matre*, & ſuaviter, ſeipſum defendentem, comprehendit hic brevis *textus*, quem diſcutiendum coram vobis propoſui. *Vobis* dico (*Adoleſcentes*) quos inſiſtere *Salvatoris* veſtigijs, cœtus *tales* adire, *templi* terere veſtibula, inter *magiſtros* verſari, *diſputationibus* intereſſe, negotia *Patris* cœleſtis eodem modo attendere, admonent quæ *humeros* veſtros ornant hodie, *candoris* & *ſimplicitatis* inſignia, ut ſi Parentes forſitan *veſtri*, eodem modo vos in hoc loco quærerent; non in *commeſſationibus*, & *ebrietatibus*, non plateas *circum curſitantes*, non apricantes ad *ſolarium*, non per agros *palantes*, non ſupine in *lecto* oſcitantes, non quovis modo *ganeonibus* immixtos invenirent; ſed in templo, inter Doctores, in Scholis, inter diſputantes, in Bibliothecis inter libros, utiliter *occupatis* gratularentur, & gauderent. Affectus Parentum quo in liberos propenſior, eo acrior urit dolor, ſi quid illis adverſi eveniſſe ſuſpicantur. Hoc cum inſideat omnibus ex *naturæ lege*, credibile eſt multò ferventiùs per gratiæ *flabra*, in hiſce Parentibus exæſtuaſſe. Obſervaverant ſiquidem in hujus pueri *geneſi*, miraculorum omnium compendium; *Nativitatem* denunciatam, *Patrem* non hominem, ſed *Spiritum Sanctum*, *Virginem* inumbrantem, incunabula Dei præſidio munita, Circumciſionem *Simionis* & *Annæ* illuſtrem vaticinijs. Nec exciderat proculdubio *Zacharias* mutus, aut *præcurſor* ad appulſum *emulationis* in

12 in utero materno subsiliens. Et quanquam apocrypha videntur ista, quæ de *Christi adolescentiâ*, nescio à quo tenebrione consarcinata, circumferuntur: credibile est tamen totum *pueritiæ* progressum, aliquos latentis Divinitatis ejaculatum fuisse radios; In dictis, in factis, in obsequio, in pia, & suavissima conversatione; quo solicitiùs singula observabantur, eo omnium oculos & ora potentiùs in se convertit. Quos gladios igitur existimabimus, præcordia talis *Patris*, & *Matris* trajecisse, cum illum *amissum* quærebant, quem *præsentem* tanti faciebant. Rapit *attentum* pia cogitatio, ad illud inter *Jerusalem* & *Nazareth* itinerarium, ut defixiùs intueatur mæstum *senem*, cum *tristissima* conjuge, cognatos singulos *prensantes*, & de Filio *Jesu* interrogantes. *Jesu* semper erat in ore, gementium, & redeuntium; *Jesum* personabat, triduana ista per *compita* Hierosolymitana inquisitio, ut nihil dicam de *noctibus* vix *quieti* datis, de *lugubri* colloquio, de immixtis *lachrymis*, de tacitis *suspirijs*, quia properandum est potiùs ad *catastrophen*, qua lætiora exhibentur: Sedet in medio Doctorum *puer duodecennis*, stuporem incutit *audientibus*, interveniunt *Parentes*, & attonito *Josepho*, mater loquitur. *Fili mi cur ita fecisti nobis, Ecce Pater tuus, & ego, anxij quærebamus te?* Tunc dixit ad eos, *Quid est quod quærebatis me? An nescietis oportere me in ijs esse quæ Patris mei sunt?*

2. Non existimandum est *Virginem* modestissimam *Filium* ex abrupto interpellasse, aut coram tot *Doctoribus*, & *auditoribus* differentem corripuisse, sed seorsim remotis arbitris suaviter postea compellasse. Indicat hoc vocabulum affectus plenissimum, *Fili mi*, nec tam *increpationem* ista sonant (ut voluit cum *Ambrosio*, & *Bonaventura*, *Calvinus*) quàm ex materno *amore*, aut *dolore*, aut *admiratione* erumpentem querimoniam. Ac si dixisset, Te non latet, (*Fili*) quam ardenti affectu *Pater* & *ego*, te prosequimur, & quanto animi *cruciatu* à te divellimur. Si placuisset hic diutius commorari, cur non *nobis* significaveras, ut vel diutius hic te *expectaremus*, & non per tot molestias in *via*, in *urbe*, in *hospitijs*, inter *cognatos* & alios, tanta cum anxietate quæreremus? Ubi non tam reprehendit *quod* fecerat, quam expostulat *tenerrime quare* fecerat. Cur te clanculùm subduxisti? quare tanto mærore voluisti nos tui *charissimos* afficere? Quibus *apposita* est Filij *responsio*; Divino hoc egi consilio, nec periculum erat ne aliquid *adversi* mihi accideret. Non erat igitur quod me *quæreretis*, dumq; *Patris cœlestis* jussa perago non est quod vos doleatis.

Verba continent (ut videtis) *justissimam Salvatoris* ad *Parentes apologiam*, ut quærentibus, & admirantibus plenè satisfaceret, Subduxi me eo animo, ut *liberiùs* meo muneri vacarem, vobis hoc non *significavi*, ut altiora molienti impedimento non essetis.

Summa igitur *pietate* & *artificio*, interrogata, in *interrogatis* opponit, & duo præstat. { 1. Objecta diluit. *Quid est quod quærebatis me?* 2. *Seipsum defendit. An nescietis oportere me, in ijs esse quæ Patris mei sunt?*

Primum exhibet *enthymematis* cujusdam *conclusionem*. Non eram à vobis anxiè quærendus, Secundum *rationem*, quia *Patris cœlestis* jussa exequentem, non oportet vos me interturbare. Interrogationes enim in *Scripturis* varios sensus ingerunt. Quædam simpliciter exigunt *responsum*, ut, quem quaritis? *Jo. 9.* Aliæ *indignationem* exprimunt; *usq; quo patiar vos?* Quædam *deprecantur*, ut exurge Domine, *quare obdormis?* Quædam *queruntur*, ut quid Deus *repulisti me?* In nonnullis latet *commiseratio*, ut, quomodo sedet *sola* civitas? In alijs *repulsa*, ut quid mihi & *vobis filij Sarviæ*? Est & ubi interrogatio denotat *admirationem*, ut quomodo cecidisti de cœlo *Lucifer*? Sed frequentiùs *negationem*, ut quis cognovit *sensum Domini? Cyrillus Alexandrinus* de recta fide ad Reginas, primam interrogationem *negare*, secundam *affirmare* contendit, ut commistio sit, Non vestrum erat me quærere, quia sciebatis in ijs, quæ Patris sunt oportere me esse. Quod eodem cum interpretatione superiùs allata prorsus recidit. Et quanquam *interrogatio* (ut vulgò dicitis) non sit *disputatio*, redigi tamen frequentèr potest ad vestras formas, ut in præsenti negotio. Non oportet *Filium*, parentes anxietate afficere; tu autem Patrem & me sic affecisti, ergo videris fecisse. quod non oportuit. Distinguit textus implicitè de *anxietate* in majore, quod alia sit ex *suspicione*, *ignorantia*, vel *affectu* Parentum incautiori, alia ex *justis* contracta *causis*, & *primam* non impingere Filio reprehensionem sed *secundam*. Animadvertite quàm

quàm latè se fundit vestra *Logica*, quam *Spiritus* sanctus hic occulit sub istis interrogationibus, quarum *prima* se exhibet *elenchicè* ad objecta diluendum. Quid *est quod quærebatis me?*

3. Cum prudenter & sapienter interrogaverit *mater* (inquit *Stella*) prudenter & sapienter respondet *Filius*; nec tanto plausu acceptus in *Doctorum* medio, dedignatur pauperes *Parentes Apologetico* alloquio. Sunt qui à *ligone* ad *purpuram* evecti, de viliori *Parentum* conditione non libenter audiunt, consanguineos, & affines ab alto despiciunt, sic ut beneficii ducant loco, si *nuru* tantùm cognoscantur. Sed *archetypon* hoc humilitatis, vix citiùs videt *Josephum fabrum*, & *Mariam* non ita gemmis tunc radiantem, ut *idololatricæ* hodiè ipsius statuæ, quam secedit à stupente turba, ut assuetum illis præstet obsequium; loquuntur? audit, interrogant? respondet; Suadent illi reditum in *Nazareth*, descendit cum iis καὶ ἦν ὑποτασσόμενος αὐτοῖς, & erat illis libentissimè *subjectus*. Numquid igitur tibi molestum sit *subjici* homini propter *Deum*, quandoquidem pro te *Deus* voluit *hominibus* subjici? Copiosi sunt *Patres* in hoc argumento, quod ipse tantum in transcursu attingo. Non est ista infirmitatis, sed pietatis subjectio (inquit *Ambrosius*.) Tu *matri* plura debes, quam abreptus hujus sæculi luxurioso sodalitio, valeas (ut oportet) æstimare. Nam ut omittam ventris longa fastidia, partus periculum, sanitatis, propter te, tot oppignorata discrimina, cum ediderit quod optavit, *partu* tantùm solvitur non *timore*. Quid anxietates *Patris* loquar, & multiplicatos census, alienis forsan usibus, ut tibi vacaret in *Doctorum medio*, hoc in loco sedere? & nonne pro his obsequia saltèm oportet rependi? Transtulit hæc *Origenes* ad spiritualium *Patrum* & *Tutorum*, & *Curatorum* reverentiam. Si *Jesus* (inquit) filius *Dei*, subjicitur *Joseph* & *Mariæ*, ego non subjiciar *Episcopo*, qui mihi à Deo ordinatus est *Pater?* Non subjiciar *Presbytero* qui mihi domini dignatione præpositus est. Videat interea is qui melioribus est præpositus *inferior*, ne superbia intumescat ex eo quod *major* sit; sed sciat ita *meliorem* subjectum, quomodo & *Jesus* subjectus fuit *Joseph*. Sed ista frequentius excidunt, quia *Iesum*, vel *præsentem*, vel *amissum* dolentes non quærimus, vel quia sive *adsit*, sive *absit* nil pensi habemus. Quare operæ pretium erit, priusquam ad ulteriora delabimur, quomodo *Christus* sit quærendus pensiculatiùs despicere, ne fortè indignantèr ab ipso audiamus, vel non omninò vel præposterè, *Quid est quod quod quærebatis me?*

Luc. 2. 51.

Hom. 20.

4. Constat non obscurè ex textu *Christum* à *suis* amitti posse, non ut prorsùs discedat, (sicut optime *Bernardus*) sed ut lateat. Nam qui ubiq; est per potentiam, & sapientiam; ubiq; tamen non invenitur per suavitatem, & misericordiam. Amittitur autem *negligentiâ* & *securitate*: nobis dormientibus *inimicus* homo spargit *zizania Math.* 13. Amittitur *ignorantiâ*; quia *tu* repulisti scientiam ego repellam *te Hos.* 4. 6. Et annon ille Deus odio habens iniquitatem, in cujus conspectu *stulti* & *mendaces* non stabunt? *Psal.* 5. Quid quod ascendunt nonnunquam *spinæ* hujus sæculi, & *contristantur* ipsius spiritum, sic ut meritò se subducit, ubi vili se sentit æstimari. Ita *Spiritus Domini* recessit à *Saul*, & exagitabat eum *spiritus nequam* à Domino 1. *Sam.* 16. Postremo *amittitur Christus*, præcipiti quadam & temeraria de nobis *confidentia*. Vidisti virum sapientem in *oculis suis*, spes est de *stulto* magis quàm de eo *Proverb.* 26. 12. Tu igitur qui per fidem *stas*, noli altum *sapere*, sed *time*, ad *Rom.* 11. Atq; ita dum amittitur multitudinàm, non in quavis *turba* invenitur, aut in quolibet *hospitio*; Non invenitur semper inter *cognatos* & nobis *notos*, hoc est, in carnali societate, ut accommodat *glossa*. Nam ita investigabant eum *Josephus* & *Maria*, & non inveniebant. Vix obviam fit illis in *plateis* aut *lectulo*. Nam ita quæsivit *sponsa* & non invenit. Jam verò qui Aulæ aut magnatum terunt vestibula, ut inter ambientium æmulationes *portulam* auferant, vel propter *panes* illum sequuntur, non *pastum* animæ; ut cum *Juda* portent *marsupium*, & non æstum diei cum *operariis*; Dubitandum an tales *se potius* quærant, quam *Servatorum*. Non nominandi igitur sunt in hoc nostro scrutinio. Quem *Moses* invenit in *rubo*, inter *spinas*; pro tempore amisit *Salomon* in *thalamo* inter *rosas*. Quem reperiunt *pastores* in præsepi, non agnovit *Herodes* inter *aulicos*. Adfuit *latroni* in cruce, qui urgenibus primariis *Sacerdotibus* noluit respondere. Sic mater hunc retinuit in *Ægypto*; quem hic amisit in *festo*, ut intelligamus quam periculosior sit hujus mundi *affluentia*, quam *tribulatio* vel persecutio. O bone *Jesu* quam multi profitentur *te*, qui non quærunt *te*? &

Homil. infra octavum Epiphaniæ.

Can. 3.

quam multi quærunt, qui non *inveniunt*? quia non quærunt tuo ductu, ut *Parentes tui*, ſed impulſu proprio, ut *traditores* tui. Quærendus eſt igitur *Salvator*, Parentum exemplo, primo dolore, deinde *diligentia*, tertio in Doctorum *medio*. Pater tuus & ego *dolentes quærebamus te*. Non ſeorſim quærunt *Pater* & *Mater*, ſed collata operâ, nec ficcis oculis, ſed ſingultienti cordis deſiderio. Ut enim navis fatiſcit cito ſi arentibus arenis inſideat: ita anima deſtituta pœnitentiæ *fluctibus* non poteſt in portum tranquillitatis transfretare. Sed opus eſt hic *diligentiâ*; non tepide, non negligenter, non perfunctoriè quærit ſponſa, ſed ſurgit, & circuit civitatem, ut inveniat quem diligit anima *Cant.* 3. *Poſtremo* non inter *hæreticorum cœtus*, aut *otioſorum* latibula, aut pergræcantium luſtra inveniendus eſt hæc *Patris ſapientia*; ſed in *templi* penetrali, inter *Magiſtrorum*, & *diſputantium* congreſſus. Si neſcis ô *pulcherrima* inter *mulieres* ubi paſcit, aut ubi *cumbit in meridie*, quem diligit anima tua, egredere per *veſtigia* ipſius *gregis*, & paſce *capellas* tuas ad paſtorum Tabernacula ne ſeriùs forſan *invenientes* ſic corripiat Animarum paſtor, quid eſt quod aliter quam *præcepi* quærebatis me? Nam ſicut *ovis perdita*, talis vagatur, qui paſtorum, & dilecti gregis non inſiſtit veſtigiis. Cant. 1.

5. Nulla eſt *triſtitia* in hoc mundo, cui aliquo *remedio* non poſſit provideri; ſola Dei *jactura*, ſolatium non habet, ſed quo externis *fomentis* diligentiùs mitigare ſatagis, eo *acriùs* intus pungit, & depaſcit penetralia. Bona *directa* ſuppleant amici, *incendium* extinguant vicini, *morbos* corporis depellant *medici*, injurias *Juriſconſulti*: Sed fuerunt mihi *lachrymæ* panes, die & nocte (inquit *David Pſal.* 41.) dum dicitur ubi eſt *Deus tuus*? Abſente Domino, *plaga* diffluebat, nec quieſcebat: renuebat *conſolari* anima mea. Tanti intereſt ut adſit, & evigilet *Servator* in ſuccuſſo hoc noſtro *navigiolo*. *Magiſter non eſt tibi curæ quod perimus*? *Mar.* 4. 38. At nos interea, quærimus alia, quærimus alibi quàm oportet, & laſſatis tandē in perſequendis carnis & mundi lenociniis, ultima & ſerior vix incidit de *quærendo Jeſu* deliberatio. *Saulus* quærens *Aſinos*, invenit Regnum: at nos nimium hujus mundi *regno*, ſordidè mancipati, ad illum qui portavit vix pervenimus *aſinum*. Apertiùs ut vos alloquar (*Adoleſcentes* ingenui) *primò* ſcænam jam vos intratis, ut in Magiſtrorum medio Chriſtum cum parentibus quæratis. Et quanquam in ſe *amaræ* ſint, ut Aquæ *Hiericuntinæ*, hæ veſtræ diſciplinæ, præſertim ſicut conqueritur *Auguſtinus*, ubi nomen *Chriſti* non legitur; pietatis tamen & fidei ſi condiantur *ſale*, tanquam ſtella *Magos*, vos deducant ad domum, in quâ *aurum*, & *thus*, & *myrrham* confirmationis judicii, puerulo *Jeſu* offeratis. Ne divertant igitur vos ab hoc illuſtri curriculo, male feriati nonnulli *ardeliones* qui πίτυρ ἐν τρυφῇ ἐν κέδρῳ βλασφημοῦντες τὸν ἀζάνητα τύφον (verba ſunt *Clementis Alexandrini lib.* 2. Pædagogi *cap.* 1. cæteris peſtem inhalantes præſertim quæ ipſi inficiuntur. Colliment eò potius veſtra ſtudia, ut Chriſtum *Jeſum* inveniatis, & inventum arctiſſimis amplexibus retineatis. Quis dabit me (inquit *Bernardus*) tuis inhærere *veſtigiis*, & ſic *currere poſt te*, ut quandoq; apprehendam te? Inertes certè futuræ ſunt veſtræ artes, gradus gravamina, ludibria quæ induiſtis profectus *inſignia*; ſi plutis apud vos ſit in *Grammaticis thematis* alicujus quàm *Chriſti* inter *Doctores inveſtigatio*, aut plus operis impendatis *medii inventioni* in *Logicis*, quam *mediatoris* in *Theologicis*. Sit cibus igitur veſter & potus facere illius *voluntatem*, qui vos in hoc ſtadio literario conſtituerit. Nam occupatum invenerunt *Chriſtum* parentes dum hic quærebatur; quod *ſecundo* in loco eſt perpendendum.

6. *An neſciebatis oportere me in iis eſſe quæ Patris mei ſunt*] Ut primus *Geneſeos* verſiculus, *quinq;* quaſi *vocabulis*, *quatuor* jugulat errores (ſicut habet compendium *Scholaſticæ Theologiæ* lib. 2. cap. 1. In *principio*] mundi *æternitatem*; *creavit*] materiæ *neceſſitatem*; *Deus*] Angelorum *adjutorium*; *cœlum* & *terram*] *Manichæorum* diverſum à Deo, terræ *conditorem*; Ita *tria* hic in textu indigitant verba totius veluti *Chriſtianiſmi catechiſmum*. *Neſciebatis*] ſanctorum *infirmitatem*; *oportere*] patris *mandatum*; eſſe in iis] filii *obedientiam*; de quibus in tranſcurſu accommodatiora præſenti negotio, libet tantum annotare. Inter *Scholaſticos*, & *Canoniſtas* nota eſt illa *diſtinctio* inter *neſcientiam*, *ignorantiam*, & *errorem* (referente *Pelbertio* de *Themeſwar*) quod neſcientia negat ſcientiam eorum, quæ ſcire quis *non* tenetur; & hæc ſecundum *Dionyſium* (ſive *verum* ſive *fictum*) *Areopagitam*, eſt æquè in *Angelis* & beatis, ac hominibus. Nam manifeſtus eſt locus ad *Epheſ.* 3. 10. innotuiſſe per *Eccleſiam* ſuperiis & poteſtatibus, quæ

quæ in cælis sunt, vocationem gentium, juxta multiformem Dei sapientiam, quam ante adventum Messiæ aliquo modo nesciebant. *Ignorantia* privat cognitione debita inesse, *Error* addit perversam voluntatis affectionem, qua non vult aliquis illud intelligere, quod *scire* & *potest* & *debet*. Sed scriptura non se dimittit ad tales *criticismos*, Quare οὐκ ἤδειτε hoc in loco, non arguat supinam *Josephi* aut *Mariæ ignorantiam*, multo minus *errorem* crassum; sed instituendam suo loco, & tempore non compertam *notitiam*. Unde non tam *reprehendit* illos hic *Servator*, quam *instituit* & seipsum defendit: securi esse potuissetis de mea absentia (*dulcissimi Parentes*) quem non *hominem* tantum, sed *Deum* multis certissimis indiciis esse cognovistis. Num metuebatis ne cruciarer *fame*, aut vexarer *frigore*, aut aliqua injuria in *plateis*, in *hospitio*, in *foro*, tenella hæc mea ætas afficeretur. Non erat cur vestram *confidentiam* hujusmodi torqueret solicitudo, quia potius nunc intelligatis velim (quod hactenus vobis non innotuit) adultiorem hanc meam *adolescentiam*, ad *munus* à *Patre* cælesti demandatum *ulterius* me vocare. Ferenda est igitur in posterum mea *absentia*, ut huic præcipuè invigilem. Nam si modum quo hoc fieret adhuc non tenueritis, an nesciebatis hoc certo esse faciendum? Cum *Josephus* cæcutientis *Jacobi* patris manus, ex errore (ut ipse indicabat) decussatim positas in capite *Ephraim* & *Manasseh*, pro ætate *rectiùs* disponere voluisset; renuit *Pater*, & ait, *scio fili mi, scio, & iste quidem erit in populos, & multiplicabitur*, sed frater ejus *minor, major erit illo Gen.*48. Eodem modo hic vice *versa*, *Filius* Parentes dirigit: Novi *Parentes mei*, novi quo *affectu* ista à vobis proferuntur, sed vos nescitis quomodo aliter de me *cælestis Pater* disposuit.

Vid. Altenstaig. in verbo nescientia.

7. Animadvertitisne quomodo *Deus* charissimos suos, non per *saltum*, sed *gradatim*, ad voluntatis suæ cognitionem manducit? Quomodo non vult illos esse *doctores* in tali *professione*, priusquam (ut ita dicam) fuerint in cæteris *Bacchalaurei*? At præcocia nostri sæculi *ingenia*, primo impetu se putant omnia imbibisse, & insiliunt plerunq; in *cathedram* ad docendum, priusquam probè didicerunt quid sit ad pedes alicujus *Gamalielis* sedere, & audire. Reprehendit hoc *Augustinus* in *victore* quodam *Vincentio* lib.3. de *origine* animæ. Ideoq; c.1. Sic illum *paternè* admonet. Quantum apparet ex *donis* tui ingenii, quæ jam tibi largitus est Deus, profecto *sapiens eris*, si te *non esse* credideris, atq; ut *sis*, ab illo *qui facit* sapientes, piè supplicitèr instanterq; poposceris; & malueris *errore* non decipi, quam *errantium laudibus* honorari. Vehementius (sed haud scio an tam justè) hoc persequitur *Hieronymus* in *Augustino*, Epistola 90. & nonnullis sequentibus, ubi illi *Daretis*, & *Entelli* luctam revocat in memoriam; ingeritq; Bovem *lassum fortius pedem figere*. Ideoq; *senem* à juniori temerè non esse lacessendum. Sed prudentius proculdubio instituit *Ep.*4. *Rusticum Monachum*, & ad id quod collimamus multò accommodatius, emittendos esse ex ludo *Monasteriorum* sive *Collegiorum*, hujusmodi milites, qui specimen suæ conversationis, multo tempore dederint, & qui omnium fuerunt minimi: ut *primi* omnium fierent. *Messis Ecclesiæ* est in tali *herba* (candidati *Adolescentes*) quæ necesse est ut priùs in hoc vel simili *novali* virescat, crescat, & maturescat, quàm *manipulos* tritico onustos, in horreo recondat Domini. *Samuel* bis vocatus à Domino, recurrit statim ad *Eli*, licet tunc temporis *effætum* & *caligantem* oculis, nec ausus est nisi ex *senis* dictamine puer, vel *Jehovæ* vocanti respondere: tantum abfuit ut *illum* contemneret, aut censuris congeret, vel sannis deridendum propinaret, aut pueruli abreptus petulantia, seipsum immodestius circumspiceret.

Telemacho veniet, vivat modo, fortior ætas,
Nunc est auxiliis illa tenenda Patris.

Ita *Servator* hic ad pedes *Magistrorum* in pavimento sedet super stoream, (ut colligitur ex *Ambrosio* in 1. ad *Cor.* cap.14.) non *docens* aut *doctores* irridens, qui pro munere cæteris præfuerunt, aut *omnia* se scire jactitans, sed modestè illos audiens, & *interrogans*, ut habet textus, idq; pro ætatis officio, (sicut rectè notat *Origines*) ut nos doceret, quid *pueris*, licet sapientes & eruditi sint; conveniret. Ita non stomachantur *Josephus* & *Maria* ad suæ insciticæ correptionem; (an *nesciebatis*) tametsi non *intellexerunt verbum*, quod loquutus est ad *eos*; sed *reconsidebant hæc* omnia *in cordis* scrinio; donec ex *spiritus* sancti revelatione, opportuno tempore, plenius perciperent. O quanti essent inter nos *Juniorum* progressus, si ad tam illustre *humilitatis* exem-

Hom. 19.

emplar, conſtanter ſe componerent, uec concluderent ſine *præmiſſis*, aut jactarent ſe prius eſſe *actu*, quam unquam fuerint in *potentia*. Certè oportet illos in iis eſſe & *quæ Patris ſunt cœleſtis*, & quæ *matris* ſunt *Academiæ*, qui *fratribus* in poſterum aut *filiis* ſunt profuturi. Quod ingerit penſi *neceſſitatem*, ex *Patris mandato* à nobis, ut ſuperiùs propoſui, deinceps prependendum.

8. An *neſciebatis oportere me* ὅτι δεῖ εἶναί με] Quod *Salvator* monuit de omnibus Scripturæ *apicibus* Math. 5. *Amen dico vobis uſq;, dum præterierit cœlum & terra,* ἰῶτα ἓν, ἢ μία κεραία, *Jota unum*, aut *unus apex* nequaquam præterierit, ex lege uſq; dum omnia facta fuerint: illud in hoc monaſyllabo [δεῖ] oportet, ſolicitè eſt attendendum. Plus enim latet in *medulla* quam cortex primò exhibet aſpectu. Me *oportet*, & tibi *licet*, legimus, in *Grammaticis*, & tanquam *impersonalia* levi brachio prætervolamus: Sed *Theologia* his inſiſtit penſiculatius, & *aliquid* elicit, quod *omnibus* officium injungit. Nec diſſentit orator. *Oportere*] perfectionem declarat *officii* quo ſemper utendum eſt, omnibus. Et alibi pro *Cornelio Balbo*, *oportere* eſt conſentaneum eſſe *officio*, *licere*, legibus & juri, *decere* temporibus, & perſonis. Unde *Canoniſtarum* gloſſa, *oportet* eſt verbum *neceſſitatis* ſed quandoq; *honeſtatis*. Neceſſitatem hoc in loco notat (inquit *Marloratus*) Sed errat *hæreticus*, (reclamat *Maldonatus* Jeſuita) ſcilicet non ſatis habens, ut niſi *Chriſto* etiam ipſi, arbitrii libertatem tollat. Sed nunquamne legerit apud Scholaſticos *Jeſuita coactionem* ſolummodo tollere arbitrii *libertatem*, & non *neceſſitatem?* Annon *Deus* liberrimè agit quod agendum *decrevit*? vel *beatos* diceres Angelos libertate privatos, quia ſponte jam nolunt, & non poſſunt, præcipites in ſcelus ruere? Neceſſitas igitur hic *Servatori* incubuit, non ex actionis *exigentia*, ſed ex *Dei* immutabili decreto. Oportet quidem *hæreſes* eſſe 1. *Cor.* 11. *Servum Domini non oportet*, id eſt, non decet litigare, 2. *Tim.* 2. Epiſcopum *oportet* eſſe irreprehenſibilem, nempè hoc ſpectat ad ipſius munus *Tit.* 1. Oportebat *Eliam* venire *Marc.* 9. *Oportuit* Chriſtum pati *Luc.* 24. *Oportet* impleri Sciipturam, *Act.* 1. quod aliud nobis ingerunt quam *fixum* Dei de rerum ſucceſſione *beneplacitum?* quas non contingentes indidem, aut arbitrarias quis ſuſpicetur, niſi & Deum eodem cogitet vertigine, aut *impotentem* eſſe, aut *varium*. Atqui (dulciſſime *Jeſu*) quis tibi has leges neceſſitatis impoſuit? Cenſum accipiunt ab alienis *Reges terræ* & filii ſunt liberi, Tu Altiſſimi hæres *rapinam* non duxiſti *legiſlatori* eſſe æqualem, & tu te ita *exinânis*, ut ſervi forma accepta cum nobis, idem non dedignaris jugum ferre? Sed ita *oportuit*, quia placuit. Habitu inventus eſt ut *homo* (inquit *Apoſtolus*) ipſe ſe ſubmiſit *factus* obediens uſq; ad *mortem*, mortem autem *crucis*. Quapropter *Deus* ipſum in ſummam extulit ſublimitatem, & largitus eſt ei *nomen*, quod eſt ſupra omne nomen, ut ad nomen *Jeſu* omne genu ſe flectat, cœleſtium, terreſtrium, & ſubterraneorum, omniſq; *lingua* profiteatur *Jeſum Chriſtum* eſſe Dominum ad Gloriam Dei Patris.

De Oratore.

Phil. 2. 9.

9. In quacunq; mentis poſitione ſum (inquit *Seneca* Ep. 61.) cum lego *Sextium*, libet *omnes caſus provocare*, libet *exclamare*, quid ceſſas *fortuna*? *Congredere*, paratum vides illius *animum* in *duo* qui quærit, ubi ſe experiatur, ubi virtutem ſuam oſtendat.

Spuonantemq; dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fulvum deſcendere monte leonem.

Ita *erectius Ethnicus*, ad ethnicæ præcepta *Philoſophi*: dum nos interea *Chriſtiani* ut filii *Eli*, imo ut filii *Belial* jugum *diſciplinæ* excutimus, nec movebit ipſius *exemplum*, cui nomen ſolennitèr dedimus, & à quo omnia quæ cupimus bona, in *poſterum* expectemus. Chriſtus *perforatas* habuit aures, aures ad morem *ſervi* illius, qui Dominum noluit deſerere *Exod.* 21. quo mandata *Patris* ſitientius imbiberet. At noſtras nos obturamus, cum ſurda *aſpide*, & malumus eſſe *ſubtiliter perjuri* in *ſtatutis* violandis, quàm *obſequentes humiliter*, ad æternos honores una cum *Chriſto* in Regno Patris conſequendos. Atq; hinc eſt (quod ut olim in *Rama Rachel*) *Academia* plorat ſuos filios, & non vult *conſolationem* admittere eo quod *non ſunt*: non ſunt frugi, humiles, induſtrii; ſed *ocreati*, *cincinnati*. *vagi*, & ad corrupti ſæculi luxuriam *compoſiti*. Ambiunt *operantium* mercedem, ſed *diei æſtum* haud libentèr ferunt, & titulo ſatis elati, habitus averſantur *Scholaſticos*; ac ſi dedecori eſſent *nepotibus* majorum *inſignia*: ſic ut frequenter fruſtra quæras *Academicos* in Doctorum *medio*, & contemptum ab æmulis audit Academia (ut olim *Papa* à Rege quodam noſtro ob *armatum Epiſcopum*, *vide an iſta ſit tunica filii tui*. Liberiùs iſta perſtringo (*Auditores*) quia

Pſal. 40.
Heb. 10. 5.
Pſal. 58.

Math. 2.

quia *tales* alloquor quorum præcipuè intereſt, & eo *modo*, ut ignari, & invidi, non facile rapiunt *nonnullorum* ſcandala, in *loci*, & *optimorum* opprobrium. Neq; enim tot ſunt inter nos *degeneres*, ut illos ſequatur *denominatio*, nec tanta eorum *petulantia*, quin *medicinam* ſalutarem gradatim admittat. De vobis optima ſibi pollicetur *charitas* (ingenui *Adoleſcentes*) & quamquam.

Imberbis juvenis tandem cuſtode remoto,
Gaudet equis, canibuſq́, & aprici gramine campi
Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper.

Verba tamen ſunt, & voces (ut ſit idem Author *vobis notiſſimus*) *quibus hunc* lenire *dolorem* ----- *Poſſis & magnam morbi deponere partem.* Horatius.

Non circumducam vos per *avia*, nec *multis* obtundam. Vinicum hoc *Servatoris oportet*] ſi probe animis *inſederit*, fruſtra vos lactabunt *ſeductores*, & *mulier extranea*, in platearum angulis; quia ut ante oculos *pennatorum* non valerent ipſorum retia. Prov. 1.

Torpentibus, rixantibus, aut aliud agentibus, quam opportunè ſuccurreret hujus (*oportet*) meditatio. Si quid *oportet*] ſecum reputaret, quivis gradus, aut *conditio*, non tam facile tot *bonæ* horæ, *male* collocatæ diffluerent, ſed reviviſceret in hoc literarum *ſtudio*, ad optima quæq; pia, modeſta, & legibus noſtris undiquaq; conformis *æmulatio*. Deniq; quam vel ipſum *Satanam*, vel quoſcunq; ipſius *emiſſarios* veſtro profectui inſidiantes, hoc *Servatoris* fulmen proſtraret, Quid eſt quod urgetis me? & à ſuſceptæ vocationis curriculo ſatagitis divertere? An neſcitis *oportere me in iis eſſe, quæ Patris mei ſunt*? Iſta autem cujuſmodi præcipuè fuerint, de quibus hîc *Chriſtus* loquitur, ſupereſt ut *coronidis vice*, paulò diſtinctiùs attexamus.

10, *An neſciebatis oportere me in iis eſſe quæ Patris mei ſunt*? Filius *Patrem* honorat *Malach.* 1. ut hoc in loco *Servator* non à *ſeipſo* loquitur, non gloriam *propriam* quærit, non alienis ſe immiſcet *avocamentis*, non permittit ſe, vel à *Parentibus* terrenis abduci, quò minus ſedulò illud penſum abſolveret, quod ſponte à *cæleſti Patre* peragendum ſuſcepiſſet. In *iis* igitur *eſt*, non quæ poſtularet *caro* vel ſuggereret *mundus*, aut condonanda eſſent *pueritiæ*, ex ſæculi infecti *indulgentia*, ſed in iis quæ *Patris ſunt*, *Patris* (inquit) *mei*, non *putativi* in terris, ſed *naturalis*, & *æterni* in cælis, quo oſtendit (ut recte notat *Calvinus*) officium *Patri cæleſti* debitum, omnibus *humanis obſequiis* longiſſimè eſſe præferendum, & proinde non ægrè debere eſſe carnis *ſatoribus*, ſi ſe præ *Deo* neglectos, vel à natis chariſſimis conſpiciant. Hoc enim ipſe alibi *ſeverè* poſtulat ut *Dominus*, quod hic ſincerè præſtitit ut *Filius*. Qui amat, inquit, *Patrem* aut *Matrem* plus quam me, non eſt *dignus* me, Mat. 10. Imo ſi quis *venit ad me*, & non *odit Patrem* ſuum, & *Matrem*, & *Uxorem*, & *Liberos*, & *Fratres*, & *Sorores* atq; adeo ſuam ipſius *animam*, non poteſt eſſe *meus Diſcipulus* Luc. 14. Tanto ſalario Chriſtus egreſſos ex hujus mundi *ſcholis trivialibus*, in ſuam admittit diſciplinam, non quod *charitas* ipſa *odium* abſolutè præcipiat, ſed *odium obſiſtentium* (ut habet *gloſſa*) atq; eo reſpectu tantùm quo *obſiſtunt*, quo minus in iis quæ *Patris cæleſtis ſunt*, conſtantèr verſemur. Sed illud in τοῖς τοῦ πατρός μου, non omnes *uno ſenſu* accipiunt. *Origenes* homil. in Lucam 20. *Epiphanius* Hæreſi 30. *Auguſtinus* in ſermone de *Chriſti Parentibus*, *Euthymius*, *Ep.* 4. *Leo*, *Titus Boſtrenſis*, *Hugo*, & ſi qui *alii* ex vetuſtioribus, in iis quæ Patris ſunt interpretantur, in *locis Patris mei*, hoc eſt, *templo*. Supplent igitur *Beza*, & *Piſcator*, elleipſin textus hoc modo, ἐν τοῖς, id eſt, ἐν τοῖς πράγμασι τοῦ πατρός, in *negotiis* quæ Pater mihi mandavit ad expediendum. Sed hoc doctiſſimus quidam è noſtris *Criticus* in *Miſcellaneis ſacris lib.* 4. & *cap.* 17. non probat, ſed potius *Syri* accuratiorem verſionem בבית אבי in *domo Patris mei oportet me eſſe*; quod ulterius ſic confirmat. *Quærunt* (inquit) quæ ſunt, aut *extra locum* eſſe putantur; Contra, quæ in *loco ſunt*, ineptum eſt *quærere*. Probat deinceps ex *Chryſoſtomo* in Gen. Ser. 52. *Quonam expellis Juſtum?* An neſcis quodcunq; ei acciderit, & proficiſcatur, neceſſe eſt, ut ſit in *iis locis*, quæ ipſius ſunt *Domini*? At deficit hîc, ut mihi videtur, optimi *Grammatici Logica*. Neq; enim habet *Chryſoſtomus* ἐν τοῖς τόποις, ſed ἐν τοῖς τοῦ δεσπότου, ἁπλουστέρως. eodem modo quo hîc. Quapropter *idem* per *idem* videtur concludere. *Syro* opponimus *Arabicum*, & omnibus à nobis præferendam Eccleſiæ noſtræ Anglicanæ *ultimam tranſlationem*, cui nollem ut quiſpiam intenderet *litem*, niſi plus quam *frigidis* quibuſdam conjecturis niteretur. Invitus digredior (*Auditores*) ad hujuſmodi *liticu-*

las, quæ parum (ut ipse assequor) ad *pietatem* per se faciunt. Interea non contemnendi sunt, (ut vulgo fit) talium commilitonum *conatus*. Exacuunt siquidem nobis *pennas*, quibus exactiùs *scribamus*, & id agunt, ut *textus sartus tectus* conservetur, unde logicus deducat certiores consequentias. Rem, quæ præ manibus est, quod attinet, existimo, non tàm locum loco, quàm negotia negotiis, & personas personis, opponi (ut rectè observat *Maldonatus*) negotia scilicet *Dei*, negotiis quibuscunq; *humanis*, cælestem *patrem* & *naturalem*, terrestri & *putativo*, adeo ut oppositio de *loco*, minimi sit in hoc loco momenti. Neq; enim tam necesse erat ut Christus esset in *Templo* potiùs, quàm alibi; ut negotia Patris perageret; quia & alibi etiam potuit talia facere, & fecit. Quid enim valet esse in *Templo*, si nihil agas? & si eadem accidisset in *Synagogis* vel alibi, *disputatio*, non minoris fuisset *momenti* Christi *excusatio*. Pudet me tantum temporis in hisce *minutioribus* insumpsisse. Quanto esset nobis consultius, quid egerit in tali loco inquirere? ut tam *illustri exemplo*, in simili *loco*, vel *alibi*, nosmetipsos ad *imitandum* componeremus.

11. Hic autem non deficit fax à versu antecedente 46. *Invenerunt eum in Templo, sedentem in medio Magistrorum*, sive *Doctorum*, & *audientem* illos, & *interrogantem. Audit* primò, deinde *interrogat*, postea verò (sicut collegit *Salmeron*) multoties *opponit*, & *respondet*. Ecquis jam est qui *Templum*, *Scholas*, aut *disputationes*, parvi faciat, qui *Magistros*, aut *Doctores*, aut ipsorum *collationes* vili æstimat, cum Servatorem nostrum *Jesum Christum* primo in tali loco sedisse, primo *tales viros* suo consortio illustrasse, primo talia exercitia, praxi sua sacrasse audiet? Quis non tanti tutoris cuperet esse pupillus? Respondeat pro te *Aristoteles*, pro more suo, & *modulo* hac *quadragesima*, at diriget te hoc *exemplar*, si attentè audies, qua ratione *ipse*, & interroges cautiùs, & *nervosiùs* respondeas: nulli hic excitantur *tumultus*, non auditur *sibilus*, non *clamor*, non *pedum* aut *manuum strepitus*; sed ita submisse audit *puer scientissimus*, ut *Doctores* admirarentur modestiam, Ita *appositè* interrogat, & respondet, ut stupebant omnes (sicut habet *textus*) super *prudentia* & *responsis ejus*. Nostræ verò *disputationes* quàm *immane* distant ab hoc prototypo? Imo quàm longè infra subsidunt *majorum* vivacitatem? & *senes* adhuc in vivis sunt, qui cum *gemitu* referunt, & nos sine rubore non possimus audire. Flebant *seniores* è *Sacerdotibus*, & *Levitis* ad conspectum *Templi secundi*, cum secum reputabant inter illud, & *primum* discrimen; *Ezræ* 3. At nostri tandem quid dicunt? *Tiguriola Scholarum* in *basilicas* commutata circumspicientes intuentur, & admirantur, sed quid intus rerum agitur *mæsti* perpendunt, & repetunt forsan istud in *clericos* dicterium, olim *ligneos* calices, aureos habuisse *sacerdotes*, postea *aurum* translatum fuisse in *pocula*, lignum in *homines*; ita *Scholas* hodie splendescere, *disputationes* verò flaccescere: Vultis ut fontem tantæ ignominiæ ex textu vobis aperiam? Non permanetis in *musæis*, non sedetis in *Bibliothecis*, & *Doctorum medio*; non *Conciones* & *preces* tam constanter & devotè, ut oportet, frequentatis; non estis in τοῖς τόποις τῶ παθῶς *vestris*: In locis infectis, aut suspectis, nimium versamini. Et quid est tibi in via *Ægypti* aut *Assur*, ut bibes aquam *Nili* aut *fluminis*? Quod si *locos* quos oportet pro more adeatis, non fit illud plerunq; *audiendi*, aut *interrogandi* studio, sed *rixandi*, *irridendi*, aut omnia *miscendi* libidine. Cæterùm hoc non est ἐν τοῖς πράγμασιν τῦ παθρὸς, non tam *locus* adeundus, quam negotia *Patris cælestis* obeunda, ab eo qui sincerus *Christi* velit esse *discipulus*, & sub ipsius ductu ad *gradus* ulteriores cupit promoveri. Quare *erigite* vosmetipsos (laureati *Juvenes*) & nervos vestros intendite ad *talia loca*, & *negotia*. Reddite *Matri Academiæ* suos *Lincolnienses*, & *Wiclevos*, suos *Scotos* & *Occamos*, suos *Juellos* & *Raynoldos*, qui eisdem gradibus, quibus vos hodie ascenditis ad tanti splendoris *fastigium* pervenerunt. Vestro sudore *efficite*, ut tam *magnifica* Musis extructa *palatia*, non in posterum per contemptum audiant *literionum ludi*, aut *rixantium* nundinæ, sed חלקת חצרים ager seu portio robustorum, ut locus iste, quo *Abneris* & *Joabi* pueri pugiles, æquali marte vicerunt, & ceciderunt 2. *Sam.* 2. Argumentum ab *Oxonio*, olim *Scaligero* videbatur *firmissimum* & *subtilissimum*, & *Oxonienses* (teste *Gersone* celeberrimo illo *Parisiensi Cancellario*) in suis determinationibus, mentiri nesciunt. Istud nobis argumentorum *pondus*, tales sine fuco *determinationes* exhibete. *Trojanos quosdam* qui (ut olim) tempore *Regis Henrici octavi*, Græcis, & omnibus aliis literis politioribus, capitale indicunt bellum, & supplent illud *impudentiâ*, quod deest *scientiâ*, à vestris *alvearibus* procul arcete.

1. Sam. 2. 16, *Vid. exerc.* 340. *Exerc.* 99. 1.

Appareat

Appareat vestra erga *superiores* observantia, in *æquales* & *inferiores* comitas, in *incessu* & *ornatu* modestia, in dictis & factis *candor*, in studiis *industria*, in omnibus devotio, & *humilitas*, ut cum *Christum* sequuti fuerimus in *Scholis*, in *Templo*, inter *Doctores*, inter *Discipulos*, inter *hostes*, in *monte*, in *mari*, in *Cruce negotia Patris* peragentem, apprehendamus ipsum tandem ad *dextram Patris* omnipotentis in *cælis cælorum* sedentem, ut *æternam* cum illo regnemus,

Quod faxit idem cælestis pater, per eundem *Jesum Christum*, cui cum *Patre* & Spiritu Sancto, sit omnis *Honor*, *Laus*, & *Gloria*, in Sæcula Sæculorum.

AMEN.

FINIS.

CONCIO III^{a}.

Habita ad

ARTIUM BACCALAUREOS

IN DIE CINERUM,

De *Apollos Inſtitutione.*

Act. 18. 24, 25.

Iudæus *autem quidam* Apollos *nomine*, Alexandrinus *genere, vir eloquens, devenit* Epheſum, *potens in Scripturis.*

Hic erat edoctus viam Domini, & fervens ſpiritu loquebatur, & docebat diligenter ea, quæ ſunt Domini, *ſciens tantùm Baptiſma* Iohannis.

verſ. 9.

QVI Cœleſti pluviâ *fatigatam* irrorat *hæreditatem*, & Æſtuantibus in *vineâ* ſuccenturiatos ſubſtituit *operarios*; ſicut antea aſtitit *Paulo* à *Corinthiis* malè habito: Ita *Epheſijs* hic dolentibus de ejuſdem deceſſu, & rogantibus obnixè ut maneret, verſ. 20. deſtinavit *Apollos*, qui *rigaret*, quod ille plantâſſet. Quem *Typum* vobis (*Baccalaurei*) *ingreſſûs, progreſſûs* & *ſucceſſûs*, veſtri in hoc curriculo, cujus *primum lapidem* jàm attigiſtis, imitandum hodie (*Chriſto* duce & auſpice *Chriſto*) ſum propoſiturus.

Verba exhibent hujus *Apollo*
1. *Conſtitutionem.*
2. *Inſtitutionem.*
3. *Profeſſionem.*

Hoc

Hoc eſt quomodò { 1. *Formatus à naturâ,* 2. *Informatus curâ,* 3. *Confirmatus praxi,* } *in iis quæ ſunt Domini.*

Vobis fortaſsè non diſplicebit *ſchematiſmus Tyronis*, *Baccalaurei* & *Magiſtri* in illâ quam profitebatur facultate. Sanè *textus* ea ſuppeditat quæ commodè transferantur ad hoſce gradus; ubi *Tyrocinium* intercipit 1. *minutiora* iſta de *proſapiâ*, *nomine*, & *natione*, quæ tam partitè hîc proponuntur ac ſi in *Matriculam* alicujus *Academiæ* eſſet admittendus. Deinde *dona illuſtriora*, cùm ingenij, *vir erat eloquens*; tùm genij, *optima inſectantis*, *Potens in Scripturis*; quæ perpolivit *peregrinatio*, venit *Epheſum*. Ad *Baccalaureatum* 2. referatur quod de exactiori inſtitutione ſubtexitur, *Hic erat edoctus viam Domini*. Poſtremò *fervor ſpiritus*, qui animosè ſe exercuit, *loquendo*, *docendo*, ut ſeipſum & alios perficeret. Diligentia demùm qua *heterogeneis* ſe non implicuit, urgebat ſiquidem ſolummodò ea quæ eſſent *Domini*; Coronant illud *Magiſterium*, ſive *Doctoratum*, qui (aſpirante *gratiâ*, excitante *zelo*, comitante *induſtriâ* & *conſtantiâ*, perficiente *humilitate*) emerſit tandem ut *Sol*, ab orientis *thalamo*, & ut *Gigas* exultavit ad *currendum viam*. De quibus ſingulis dum aliquid carptim appono, pro menſurâ quam contulerit *Spiritus*, qui *ſpirat* ubi vult, & humectat *vellus*, & *aream*; vel ſimul, vel alternis vicibus, prout ipſi viſum fuerit; æquis animis (uti mihi perſuadeo) vos feretis (*Patres* & *Fratres*) ſi quod hiſce tenerioribus temperavi *juſculum*, veſtris uſquequàq; non ſapiat *palatis*. Neq; enim eiſdem utitur *conſpicillis* oculus acutus, & obtuſior. *Bos laſſus fortiùs figit pedem* (ut habet *Hieronymus*) dum excurrit, & tripudiat *vitulus* in detonſo gramine. Hiſce autem, & non vobis in hujuſmodi *canalibus* præfigendæ ſunt *virgæ decorticatæ*, ad Ductum *Jacobi*: ut ad conſpectum, cum ipſius *ovibus*, ſe componant colorem. Tolerabunt igitur *ſenſus* magis *exercitati* (ut loquar cum S. *Hieronymo*) *lacteam* hanc parvulorum in Chriſto *introductionem*, cujus *fundamentum* erit prior tantùm verſus à me propoſitus, Gen. 30.

2. *Judæus autem quidam Apollos nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens devenit Epheſum, potens in Scripturis.*

Non minimi eſt momenti ad *pietatis profectum*, ſi quis ortus ſit *parentibus*, qui *verum* colunt *Deum*, ut unà cum *lacte materno* religionem imbibat. Scio *Abrahamum* (inquit *Deus*) *præcepturum filijs ſuis & Domui ſuæ poſt ſe ut cuſtodiant viam Domini, & faciant judicium, & juſtitiam:* Unde *Timotheum* erigit *Paulus* ad eam fidem quæ habitavit priùs in *aviâ Loide*, & *matre Eunice*; 2. ad Tim. 1. 5. Nam quos *Sol juſtitiæ* nullis illuſtravit *radijs*, ſubſidunt miſerè & palpant in *umbroſo* mortis puteo nec rimulam aſpiciunt, quæ ad lucem alliciat. Fælicior ergò hujus noſtri *Apollo* nativa conditio, ex *Judæis* ſiquidem erat, quibus concredita fuerunt *primitùs Dei eloquia*, & tantò ſaluti vicinior, quantò *Philoſophorum methodis*, expeditior ad Evangelium *Legis* eſt *pædagogia*. In *Judæâ* ſiquidem *notus* erat *Deus*, nec *taliter fecit omni nationi*. Quis autem neſcit quantum interſit inter filium *liberæ*, & *Ancillæ*? *Ortûs*, *inſtitutionis*, *loci*, *temporis*, *facultatum*, multa ſunt nobis *privilegia* (Auditores) quæ haud ſcio an ita ſeriò perpendamus, ut *Deo* qui contulerit gratias agamus. Numquid autèm qui vitem plantavit קרן בן־שמן in *cornu filij pinguedinis*, pro expectatis *uvis labruſcas* accipiat? Nolite *errare*, Deus non *irridetur*. A filijs *Abrahæ*, *Abrahæ* expectat opera, ab *agricolis* fructum, à *villico* rationem, & ab *initiatis* profectum; addo ego, à graduatis & candidatis, candoris & *eruditionis* ulteriorem *gradum*. Pergendum eſt igitur cum hoc noſtro, qui ulteriùs hîc innoteſcit, *Apollos* nomine. Juxta nonnullos apud *Oecumenium*, *Apollos* hic idem eſſet cum *Apelle probato* illo in *Chriſto*, Rom. 16. Ni fallor, propter nominis facilem *ſymphoniam*. Sed faciliùs iſta elidunt nobile par *Jeſuitarum Salmeron* & *Lorinus*; quia conſtat ex *Dorotheo*, *Menologio Græco*, & *Hippolyto*, *Apellem* illum fuiſſe *Smyrnæ* poſt *Polycarpum Epiſcopum*, cùm interea ſedebat hic noſter non *Commæ*, loco ignoto, de quo ſomniat tantùm *Petrus de Natalibus*, ſed *Cæſareæ*. Inter quamplurimos præcedente cap. unà cum *Dionyſio Areopagita*, & *Damari*, in *Athenienſi* diſputatione à *Paulo* converſos, ſunt qui recenſent hunc noſtrum *Apollo*, quorum primipili ſunt *Magiſter Hiſtoriæ* & *Antoninus*; ſed in nominum declinatione neſcio quid diſcriminis notat *Lorinus*. Iſta enim *Athenienſis* Ἀπολλῶν in quinta occurrit Græcorum declinatione, noſter hic Ἀπόλλως in quarta. Animad- Pſ. 76. Pſ. 148. Gal. 4. 30. Iſa. 5. 1. Gal. 6. 7.

vertitis quomodò *Doctores* inſtructiſſimi neceſſariò nonnunquam retrahuntur ad *Grammaticorum apices*? Nemo igitur vel *infimam* è diſciplinis veſtris deſpicatui habeat, ne dum *Aquila muſcas* negligat, *culice* ſuffocetur. Eundem putat unum fuiſſe ex *Eſſeis*, *Tom.* 1. Annalium *Cæſar Baronius*, quos *Philo Judæus* deſcribit, ut *Chriſtianos*. Sed iſta omnia incerta ſunt & lubrica. In *textu* (qui non fallit) *novies* hoc identidem recurrit *nomen*, ſemel in *veſtibulo* ſequentis capitis, ubi apud *Corinthios* intonantem pro concione hunc *Apollo* audimus. Ibi autem *tantus* evaſit *Doctor*, ut æmulis nonnullis *Paulo*, & *Cephæ*, imò ipſi *Chriſto* non viſus ſit inferior. unde *murmura iſta ſchiſmatica*, Ego ſum *Pauli*, ego *Apollo*, ego *Cephæ*, ego verò *Chriſti*, 1. *Cor.* 1. Quæ *Paulus* ut prudens *Architectus* conatur ſopire, non *Symmiſtis* aliquid detrahendo ad morem *moroſi* hujus *ſeculi*, ſed auditoribus præcipiendo, ut ad *ſobrietatem* magis ſaperent. Quis (inquit) eſt *Paulus*, aut *Apollos*, niſi *Miniſtri* per quos credidiſtis? Et ut unicuiq; *Dominus dedit*, Ego *plantavi*, *Apollos rigavit*, ſed *Deus incrementum dedit*. Nemo igitur glorietur in hominibus; Et *Paulus*, & *Apollos*, & *Cephas*, & *mundus*, & *vita*, & *mors*, & *præſentia*, & *futura*, omnia veſtra ſunt, vos autem *Chriſti*, *Chriſtus* verò *Dei*. Capite autem 4. ſequente, ubi ejuſdem meminit, æqualis dignitatis μετασχηματίσω cum *Doctore gentium* adumbrabitur, compellabitur ut *frater honorarius*, cap. 10. commendabitur ut *vir egregius*, ab Eccleſiâ *excipiendus*, & ſtudioſè *deducendus* ad Titum 3. Nulla hîc ut *inter diſcipulos* contentio, quis eſſet *major*, ſed qui *revera maximus* aliorum vult eſſe *ſervus*. Erubeſcat igitur nonnullosum *ſontica* & *jubleſta ambitio*, qui non niſi *conculcatis fratribus* gaudent aſcendere. Nomen *Apollos Græcum*, *Hebræo* inditum, idq; *originatione* tam inauſpicatum, ab ἀπολλυεῖν *vaſtare*, *perdere*, unde *Apollyon* vaſtator, Apocal. 9. 12. idq; uſu tam *idololatricum* (*Apollo* enim Ethnicorum *Deus fatidicus*) non obſcurè denotat quàm facilè adhæreſcit labes ab *impuro conſortio*. Aula *Pharaonis* inficit *Joſephum*, ut juret *Ægyptiacè*; Babylonia *Judæos*, ut loquantur *Chaldaicè*. Non mirum igitur eſt apud *Alexandrinos*, *Hebræos* ἑλληνίζειν, & poſthabito *more patrio*, in nominibus imponendis *circumciſo* obduxiſſe appellationis *præputium*.

4. *Alexandrinus* dicitur genere, quia natus erat *Alexandriæ*, ex *Judaicis* parentibus. Ad *littus* ים־הגדול *maris mediterranei*, interplicatis quibuſdam *ſeptemplicis Nili* alveis, ſub 3. *Climate* quod inde dicitur ἡ Ἀλεξανδρεία, ſita eſt hæc civitas illuſtris *Alexandria*. *Alexandrum* habuit *Magnum* ab arenis *Jovis Hammonis* redeuntem ante incarnationem *Chriſti* 330. plus minùs annis conditorem, poſtea in *Concilio Nicæno*, Can. 6. ſedem obtinuit inter Chriſtianos *Patriarchalem*: ſive ut *Aphrica* pari paſſu hâc ex parte cum *Europâ* & *Aſiâ* quodammodò ambularet; ſive ob *Marci Evangeliſtæ* eo in loco profeſſionem, conſentaneum videbatur ut locus propagando *Evangelio* tam opportunus, dignitate ampliſſimâ non careret. Sive *ſtationis*, ſive *phari*, ſive *Emporii*, velificantes attraxit celebritas, ut illic libentiùs quàm alibi deponerent ſarcinas, & tabernacula cum familiis erigerent, meum non eſt *Geographicè*, aut *Politicè* inquirere. Quicquid ſit, non defuit illud, quod vel ſtudioſos alliceret, vel allectos detineret, vel detentos aptaret ad *diſciplinarum omnium* conſequendum apicem. Lib. 13. *Bibliothcam* enim ibidem inſtruxiſſet noſter *Ariſtoteles* (authore *Strabone*) quam auxit poſtea *Ptolomæus Philadelphus*, & *LXXII. Interpretum* verſione, ſumptibus planè regalibus adornaſſet. *Mathematices* ſcientias jamdudum illic antea floruiſſe ſignificat in *Buſyride Iſocrates*; *Auguſtus* propter *tria*, victæ parcit civitati, Quia talem habuit *Conditorem*, tantam *pulchritudinem*, ſed præcipuè quòd *Arrium Philoſophum* invênit in eâdem *Profeſſorem*. Parùm addit hujus urbis ſplendori, quòd *duplici Muſæo* tanquam *duobus Collegiis*, *Serapio* ſcilicet & *Iſeo*, præ cæteris Ethnicorum *Academiis* enituit; quòd in eâ Imperator *Adrianus Publicè* cum *Sophiſtis* diſputavit; quòd *Ptolomæus* Aſtronomorum *Atlas*, illic *Almageſtum* ſuum congeſſit. Eadem, decurrentibus deinceps ſeculis, primipilos quoſdam *Theologiæ* in *Eccleſiæ* emiſit vineam, *Pantenum*, *Origenem*, & loci inſignitos titulo, *Clementem Alexandrinum*, *Dionyſium Alexandrinum*, *Cyrillum Alexandrinum*, Doctores celeberrimos. Ab *Alexandrinis* etiàm prodierunt *Cycli* iſti receptiſſimi, ad debitam *Paſchatis* celebrationem, quos cæteræ omnes *Eccleſiæ* ab eorum calculo, quotannis expectabant. Tali igitur natus, tam *celebri* educatus *Apollos* loco, quid ei defuit quod expectaret, aut aliis invideret? an *conterraneorum* conſortium? at *Alexandria* tunc florebat *Judeorum* Synagogâ. Num *Ethnicorum Encyclopedia*, aut *Præceptores*, aut *libri*, aut *commilitones*, aut cætera

flagrantis

flagrantis ad *lauream* vehicula? ad *manum* iſta fuérunt & ad *nutum* omnia. Acceſſit *ſoli* fertilitas, *cœli* ſerenitas. Ferunt enim quotidiè (ſemel ſaltem) *Alexandriam* Solem ſuis radiis ut terreſtrem *Paradiſum* illuſtrare. Iſta tamen, vel iſtis longè potiora, *Alexandrinum* hunc noſtrum non ſic afficiunt, quominùs de *patriâ*, de *Templo*, de pacto *Patribus Meſſiâ* cogitet. Certè debet aliquid eſſe intus (ut dixit ille) quod abſtrahat nos à *meretriciis* hujus mundi *lenociniis*, & greſſus firmet ad quærendum *Dominum*: Spiritus proculdubio qui perſuaſit *Japhet* ut in tabernacula *Sem* ſe reciperet; *Abrahamo*, ut *Chaldæorum* magicam *idololatriam* relinqueret; *Moſi* & *Davidi*, ut poſthabitâ caularum ſollicitudine fratres inviſerent; *Auguſtino*, ut abjectis *literionum* diatribis, Salvatoris *Teſtamentum tolleret* & *legeret*, non *externo* & *morali* tantùm *allicio*, ſed *verticordio* gratiæ *impulſu* affecit, affixit, & *obtorto* quaſi *collo* duxit noſtrum hunc *Apollo*, ut aſſiduus, accubuus, noctu *interdiuq;* de *vaticiniis* hujuſmodi, & *promiſſis* meditaretur, *Judæam* inviſeret, ad *excitatam* de *Johanne Baptiſtâ* famam *ipſum* conveniret, *baptiſma* ſuſciperet, *doctrinæ* acquieſceret, *monitis* obtemperaret, inflammato & ſitiente animo, *eventum* expectaret. O *altitudo*! Quis noverit *vias Domini*, aut quis ejus fuit *conſiliarius?* qui *Paulum* furentem in ſuos *ſideravit*, ut pro ſuis *laboraret*, cæteris abundantiùs; extorrem hîc *Judæum*, nomine (fortaſſe re etiam) *vaſtatorem Ægyptium*, extrahit è ſuo *nido*, ut *electio vaſi*, in convertendis gentibus, gentibus collegam adjungeret. Non dubito quin idem vos hùc pellexerit *Spiritus* (ingenui *Adoleſcentes*) ex *diſſitis* hujus regni *oris*, ut educati *hoc* in *loco*, & animati, inſtructiores tranſeatis in *Eccleſiam*, aut *Rempub.* Admoti igitur & promoti tali *aratro*, ne *reſpicite*, *ſpiritum* ne *contriſtemini*; expectant *Eccleſia*, *Reſpub. Parentes*, *Præpoſiti*, à vobis *auxiliares copias*; non *progredi* hîc eſt *regredi*; tergiverſari eſt *Apoſtatare*; mementote uxoris *Lot*, ne ſtatua *ſalis*, ſal *infatuatum* exponat ludibrio. Non deſunt veſtræ indoli quæ provexêrunt hunc *Apollo* dona; Erat

5. Ἀνὴρ λόγιος] quod ſequitur. Syrus legit *varedæchata bamelletho*, *eruditus erat ſermone*; vulgaris & cæteri (forſan) omnes, *vir eloquens*. Sed latiùs extenditur λόγιος juxta *Chryſoſtomum* & *Lorinum*, ut non *deſertum* tantùm aut *facundum*, ſed *celebrem*, *peritum*, *magnificum*, in *hiſtoriâ* & *antiquitate* verſatum nobis commendet. *Prudentem* etiam & *bonum dialecticum* addit *Duacenſis* Profeſſor, *Barth. Petrus Lintrenſis*, aſſeritq; iſtas *ſignificationes* maximè huic loco congruere. Ut igitur vocabulum λόγος apud *Scriptores Claſſicos*, tria præcipuè ingerit, *Rationem*, ſive *putandi*, unde *Logica*; ſive *ſupputandi*, unde λογιστικὸς, & λογιστικὴ *Mathematica*. Deinde *Orationem*, unde apud *Oratores* & *Theologos*, *Orationes* & *Conciones*; Ita λόγιος, in hujus *Apollo* elogio, tres deſignat *aureolas*; *Dialectices*, quâ *accinctus* ad *inveniendum*, *judicandum*, *diſponendum*, & *diſputandum*: *Mathematices*, quâ *perſpicax* ad *ſpeculandum* & *demonſtrandum*; *Rhetorices*, quâ *expeditus* ad *eloquendum* extiterat; hoc eſt ingenio valebat *Dialectico*, *Mathematico*, & *Oratorio*. De quibus ordine, in *gratiam Juniorum* libet aliquid præter morem *Concionis* adjicere. Vbi operæ vix erit pretium ex *variis Authoribus* accumulare quàm expedita accedit *Dialectica* ad profeſſiones ſublimiores *Ancilla*. An *Logica ſit neceſſaria ad cæteras omnes artes capeſſendas*, primum ferè eſt, quod diſcutitis, & affirmatis *problema*. Atq; utinam *theſi* non contradiceret poſtea *hypotheſis*. Quis enim hâc *Logices* deſtitutus ſupellectile, vel *arte* ſaltem, vel *naturâ* ἀνὴρ λόγιος, emerſit unquam ultra infimorum ſubſellia? *Mirabile plane genus operis* (inquit *Caſſiodorus*) *quicquid mobilitas & varietas humanæ mentis in ſenſibus exquirendis per diverſas cauſas poterat invenire, concludere liberum & voluntarium intellectum. Nam quocunq; ſe vertat, qualescunq; cogitationes inveniat, in aliquid eorum quæ prædicta ſunt, hoc eſt, Logicorum axiomatum, neceſſe eſt ut humanum cadat ingenium.* Unde *Auguſtinus* quando tenuia quædam hujus artis *ramenta* ex *Ariſtotelis* veſtri *Categoriis* haud ita affabrè exculpſiſſet, ſive ruſpaſſet, gloriatur in concluſione ad *Deodatum filium*, ſe nihil in eo libro omiſiſſe, quod poſſet *aut delectare* jam *doctos*, aut *indoctos manifeſtius erudire*. Tanti fuêrunt apud talem virum iſtius facultatis *guttulæ*, cujus vos *pleno* hodie innatatis *alveo*. Sed num quærendus noſter hic ἀνὴρ λόγιος in *Peripati* tantum diatribis? vix arbitrantur *Acutiores*, neq; enim *arti* magis quàm *marti* proprio, debent plurimi, qui in eadem cum *Apollo* claſſe ſedeant. Putatiſne, quia in *Sacrâ paginâ* non occurrunt *prædicabilium*, *Prædicamentorum*, aut *Syllogiſmorum* termini, reconditum latere nihil, quod acutiſſimos non exerceat? Cùm *Jannes* & *Jambres* coram *Pharaone Moſi* reſtitêrunt, credibile non eſt abſq; *argumentorum pugnis* confectum fuiſſe negotium. *Jobi* cum

De Dialectica ad finem.

amicis *collatio*, quid aliud nobis proponit quàm ſolennem quandam ad gradum conſequendum *diſputationem*? Diſputationes *Salvatoris* cum *Phariſæis*, *Sadducæis*, *Scribis*, quàm frequenter ab *Evangeliſtis* interſeruntur? cap. verò præcedente παρωξύνετο τὸ πνεῦμα, irritabatur *Pauli ſpiritus*, ut *Epicureos* & *Stoicos* in ipſis *Athenis* aggrederetur, & refutaret. Sanè ἀνὴρ λόγιος, hoc ſenſu non moratur *Sophiſtarum* tricas, aut captiúnculas. Audit, penſitat, eludit, elidit, nec citò ipſe fallitur nec fallit; nudâ fronte & aperto pectore irruit in tela iſta *juncea*, quæ expertus eſt ad quodvis objectum ſolidum ſtatim reſilire. Sic *didicit*, ut noverit *docere*; ſic docet, ut diſcipuli fructum inde percipiant; *aliorum* ſic obſervat *artificium*, ut in propriam transferat praxin; *propria* ſic diſponit, ut includat genium apud poſteros victurum. Ad amuſſim tenet illud *Lucæ*, καθεξῆς, *ordine*: illud *Pauli*, ὀρθοτομεῖν *diſtribuè* verbum veritatis *ſecare*: unde cum *Patrefamilias* à *Servatore* laudato è *theſauro* ſuo (quoties uſus feret) *nova promit* & *vetera*. Ecquid non obſervare licet in *barbaris* Antiquorum *gloſſis Ordinariis* & *Interlinearibus*, cum expoſitione *Lyræ* vulgò jàm proſtantibus, quomodo id egêrunt boni iſti *Senes*, ut *methodus*, *memoriæ*; *exegeſis*, *intellectui*, *morale* voluntati & affectibus ſubſidium adferat? Sic ſe res habet (*Aud.*) ἀνὴρ λόγιος imitatur illud Domini *Iſaiæ* 48. אני יהוה אלהיך מלמדך להועיל *Ego ſum Dominus Deus tuus docens te utilia*, Non ἁπλῶς πλεονάζοντα * perſequitur, ſed *rebus* pugnat, & argumentorum *momentis*. Ἰδιώτης ſi ſit τῷ λόγῳ, ut de ſe profitetur *Paulus* 2. *Cor.* 11. reſarcit illud ſtudioſè quantum poteſt, ex *Gamalielis* diſciplinâ. Impedita *Moſis* lingua, *Exod.* 4. non obſtat quò minùs fuerit πιστὸς ἐν ὅλῳ τῷ οἴκῳ, *fidus famulus in totâ domo Dei*: *Heb.* 3. εὐπρόσδεκτον ἄφοβον (Deo os aperiente) fit ὄνος λάλος ad *Pſeudoprophetam* peritiſſimum *Orientalium* cum dedecore redarguendum 2. *Pet.* 2. Tanta Majeſtas latet in *rerum pondere*, ubi plus intelligit auditor, quàm audit, & ſentit ſe priùs *captum*, quàm unde *capiatur*.

Cap. 1. v. 3. 2. Tim. 2. 15. Mat. 13. 52.

* *Verba volatilia.*

Subjugale mutum Aſinus eloquens.

4. Sic inſtructus acceſſit *Apollos* noſter ad deſtinatum penſum; λόγιος erat à *naturâ*, ad diſſipandas *obloquentium* offucias, ut non facilè ipſi palpum obtruderent; & λόγιος *arte*, quâ *Judæos* vehementer revincebat, publicè oſtendens non ex emendicatis quibuſdam *poſtulatis*, aut diſſolutis *ſcopis*, non ex precariâ *prolepſi*, vel *traditione* anili, vel clamore *importuno* & *Stentorio*: ſed (ut habet textus) verſu hujus cap. ult. Per *indubitata & recepta principia*, hoc eſt, per *Scripturas*, *Jeſum eſſe Chriſtum illum*. At laxior noſtra *Logica* de iſtiuſmodi nervis & ligamentis parùm eſt ſollicita. Ignoſcendum eſt mihi (B.) ſi apertiùs loquar, qui nunquam didici adblandiri: Aut *paralyſi* hodie laborant in *Scholis* noſtris majorum in diſputando *impetus*, aut ego quid ſit *punctim* & *robuſtè* agere parùm intelligo. Cùm deſcendens è monte unà cum *Moſe* Exod. 32. ſignificaſſet *Joſua* ſe audiviſſe ſtrepitum pugnæ in caſtris: Reſpondet *Moſes*, Non eſt clamor *adhortantium* ad pugnam, vel *compellentium* ad fugam, ſed *cantantium* potiùs (ut revera erat) & circa *vitulum ſaltantium*. Auditur etiam nimium frequenter in caſtris noſtris *Academicis*, ſibilus & incondita vociferatio: Sed quid? num *diſputantium* priſco fervore, aut argumenta acriter intorquentium? (Facilè diſcernunt *Advenæ*, & erubeſcunt, qui non poſſunt excuſare) nil profectò minùs, ſed *rixantium*, *cachinnantium*, *tumultuantium*, inſtar Bacchi *Menadum*; diceres *Beſtiarios* potiùs convêniſſe in circo, ad *Tauros* canibus exagitandos, quàm ſtudioſos in erudito pulvere ad ingenia excolenda, Hæret hæc lepra fronti *Matris noſtræ*, nec poteſt tegi quovis dibapho velamine; vel *confringendæ* igitur ſunt à *Moſe* noſtro *Statutorum* tabulæ, vel religioſiùs à vobis ſunt obſervandæ. Ἀνὴρ λόγιος ex *fine* æſtimat de *mediis*, nec iſta temerè præmittit quæ pudendam inferunt conſequentiam; At in tali *conflatorio* quid expectandum eſt, ab *auribus* veſtris præter *vitulum*? Sed non delectat unguis in ulcere; conſultiùs deliberatur de *remedio*, præſertim cùm non Cynthius, ſed Apollos aurem vellat. Cujus profectus hîc præcipuè attendendus, ut tot ingenui ſequantur. Tria autem videntur mihi præcipuè obſtare quò minùs à *naturâ* promptus, *artis* hoc in loco non inelareſcit adjutorio; *Temeritas* in aggrediendo, *confuſio* in proſequendo, & ſegnis quidam *Neglectus* in (id quod eſt palmarium) *coronidem* ſtudiis addendo. Solebant *veteres* (quod è *recentioribus* plurimi retinent) & præcipuè urgent *Jeſuitæ* (ut fusè tradit *Poſſevinus*) *examen* ingeniorum præmittere, ut conſtaret ex quo *ligno* exaſciandus eſſet *Mercurius*; *quidvè valent humeri rurſus*, *quid ferre recuſent*, ne cogerentur poſtea præceptores Æthiopem (quod eſt in *proverbio*) aut *laterem* lavare. At noſtri non

non tam *intrant*, quàm *irruunt* in hæc *Muſarum* ſacraria, & *fortuitò* potiùs, quàm *delectu*, quod ad *manum eſt* plerumq; arripiunt, non quod *captui* & *profectui* præcipuè eſt accommodatum. Inauſpicatum hunc *ingreſſum* excipit deinde in *progreſſu* vestigino ſa quædam ἀμεθοδία, ubi non aſcendunt per *certos gradus* ad ſcientiarum *Capitolium*, ſed ut *sciuri* ſaltitant inter ramos *diverſarum arborum*, aut ut *cicadæ* in detonſo gramine. Nunc *Logices* illos detinent *exiliores tenuiculæ*, ſtatim *Metaphyſicorum* implicantur ſpinoſioribus *apinis*; hodie ſunt *Phyſici*, cras *Mathematici*, mox *Ethici*, repente *Concionatores*, & priùs forſan quàm *Theologi*. Dic (*ſtudioſe*) quâ certâ claſſe te inveniam? At hoc non eſt *Philoſophiæ Encyclopædiam* ex veterum inſtituto complere, ſed ad iſtius Poëtæ ſaltus inconſtanter laſcivire.

Nunc etiam & verſus & cætera ludicra pono,
Quid verum atq; decens curo & rogo, & omnis in hoc ſum;
Condo & compono quæ mox depromere poſſim.
Et ſi forte roges quo me duce quo Lare tuter,
Nullius addictus jurare in verba Magiſtri,
Quò me cunq; rapit tempeſtas deferor hoſpes.
Mox agilis fio, & merſor civilibus undis,
Virtutis veræ cuſtos rigiduſq; ſatelles.
Nunc in Ariſtippi furtim præcepta relabor,
Et mihi res, non me rebus, ſubmittere conor.

Ita *nuſquam* ferè eſt *qui ubiq; eſt*, apud multos *hoſpes*, apud nullos *domeſticus*. Quid mirum igitur ſi *concluſio* reſpondeat *medijs*, & *principijs*, & *vagus* negligat curſum illum abſolvere, quem nunquam bonis avibus inchoaverat. *Aquinas* 2. 2. *q.* 35. à 4. ex *Gregorij* 31. Moral. *Acediæ ſex* adaptat deformi *matri* haud ſpecioſiores *filias*, *Malitiam*, *rancorem*, *puſillanimitatem*, *deſperationem*, *torporem circa præcepta*, & mentis *evagationem* circa illicita. Quis autem non obſervat præcipuas iſtas eſſe *Syrenes*, quæ fluctuantes hodie ſenſim pertrahunt ad deplorandæ naufragia. Torpor enim circa *præcepta*, quàm citò erigitur & evagatur ad illicita? huc non citiùs appelles, quàm ſinum poſſidebit *puſillanimitas*; nec deſinet blandiùs inſinuare, quàm corpore iis *tenerrimo*, quàm captu à difficilioribus averſo. Hanc excipiet ſtatim *deſperatio*; Annon ſentis te ſerò tandem ſapere, impoſſibilia moliri, alios metam occupare, quam incaſſum tu ſudabis attingere? Inde indignatur *Rancor* de aliorum *profectu* & quos retrahere non poteſt, *malitia* inſequitur demum & proſcindit *communelijs* & *lædorijs*. Vos autem navigatis adhuc in portu (fœlices *Juvenes*) & præ manibus habetis prætervolantis opportunitatis *promiſſam cæſariem*. Damni ſi quid hactenus vobis attulerit *torpor* & *evagatio*, facile eſt illud reſarcire. Sed opus eſt hîc tribus iſtis Prudentiæ pediſſequis, *Eubuliâ*, *Syneſi*, & *Gnome*, quas & idem *Author Aquinas* commendat alias, & *Ariſtoteles* viro provido deſignat *conſiliarias*, tùm ad *ſuggerendum*, quid conſultò aggrediatur, tum ad *indicandum*, quid tutiùs determinet. Ita λόγιος ſeu Logicus potius, Apollos noſter *Primo* ſenſu, gradum ponit ad *ſecundum*.

5. Erat ἀνὴρ λόγιος] ἀπὸ τῦ λογίσασθαι ſive λογίζεσθαι, ingenio valebat *acri* & *perſpicaci*, non ad *putandum* ſolùm quid ex quo ſequeretur, ſed ad *ſupputandum*, & ſubducto quaſi calculo *rationem reddendum* quid *par* aut *impar* occurreret in numeris, *majus* aut *minus* in magnitudinibus, ἀναλογὸν aut ἄλογὸν in utriſq; חשבון illud ipſi inſidebat, quo cœlitùs claruere *Bezaliel* & *Aholiab*, Exod. 35. *Cobeleth*, Eccleſiaſtis 7. *Uzziah* Rex Judæ qui fecit in *Jeruſalem* (ut Siracuſis poſtea *Archimedes*, & Norimbergæ *Regiomontanus*) machinas & *tormenta Mathematica*, ad *ſagittas* & *lapides grandes* è *turribus* & mœniorum *angulis* in hoſtes ejaculandos, ut habet textus, 2. *Paralip.* 26. 15. Et quanquam non colligatur ex effectu *Apollo* fuiſſe talem, illud tamen cum includat verbum λόγιος quidni inde eliciamus talem promptitudinem, quam praxi facilè ſe adaptâſſet, ſi incidiſſet occaſio? Siquidem illud *præſciens* videar affirmâſſe, fluitare plerumq; diſcurſum, ſicut navis abſq; *libramento*, ſine *Matheſeos Iſoropicis*. In his geſtit *Logicus* demonſtrationis *conſtantiam* intueri; Ex his *attentior* & *oculatior* collimat in quaſvis Sophiſtarum *pſeudologias*, aut *myſtarum* inventa. Vidit hoc antiquitùs *Pythagoras*, ideoq; non promiſcuè quoſvis (ait *Gellius*) admiſit ad ſua ſacraria, ſed ἀρμοσάμενος ex *corporis* & *oris* habitu, & penitus antea explo-

L. 1. Noct. Att. cap. 9.

explorabat, ne ἄμυσοι. ἀθεώρητοι, ἀγεωμέτρητοι, *inſtitutione* tam *liberali* abuterentur. Atq; hinc celebres Scholæ *Pythagoricæ* qnatuor *claſſes*, *prima* ἀκουσικῶν, *ſecunda* μαθηματικῶν, *tertia* φυσικῶν, *quarta* πολιτικῶν, quæ à ſilentio ad *Mathemata*, à *Mathematis* ad *Phyſica*, à *Phyſicis* ad *Ethica* & Reipub. *gubernacula* pulcherrimo traducebant ordine. Unde dimanavit poſteris de *quinq; corporibus ordinatis* myſtica *Theologia*; quaſi Deus ipſe in *ſyſtemate* mundi architectando, *Pythagoricam* illam *Geometriam*, ut *ideam* ſibi propoſuiſſet. Repetita deinde à *Platone* magnificentiùs eſt hæc *Theologia*. Illi ſiquidem tota iſta veſtra Matheſis (ut ipſius utar *epithetis*) ἑλκτικὴ, ἀγωγὴ, μεγαλητικὴ, ὑπερβατικὴ, μιτασρεπτικὴ, νοήσεως, διανοίας, ἕξεως, ἀληθείας, erat hujuſmodi, quæ *intelligentiam*, *Ratiocinium*, *Contemplationem*, *Veritatem* alliciat, impellat, excitet, erigat, convertat. Ut ſicut in *Pythagoræ* gymnaſio *ſecunda* claſſis *Mathematicorum* erat παιδευτικὴ; ſic *Matheſis* in *Platonis Academiâ* ὁδὸς καὶ παίδευσις *in Timæo* conſtituitur. Quid verò ait *Socrates* apud eundem in *Repub.* Nunquamne animadvertiſti eos qui naturâ ſunt *Arithmetici* ſeu *Mathematici*, ad omnes artes percipiendas perſpicaces eſſe & acutos? ἀνοητότατοι demùm & ἀφρονέστατοι, *excordes* & *amentiſſimi* in *Epinomide* habentur, qui à *Mathematicis* cupediis ſunt averſi. Quod excellens animæ depoſitum, excellens *Socrates* vel decem oculorum *millibus* accuratiùs ſervandum duxerit.

Ram. Schol. Math. lib. 2.

6. Sed quid ego hæc emerita *vetuſtatis* elogia tam partitè repeto? Illis quidem *illorum*, ſed nobis *noſtro ſeculo* eſt inſerviendum. Nec quod *Athenis* olim in pretio, *Oxonienſibus* ſtatim in legem cedit. Ita quidem *Imperitiores* ogganniant. Quapropter diſcutienda eſt à nobis diſtinctiùs hujus loci *diſciplina*, rimanda *ſtudia*, obſervanda progrediendi *methodus*; Quod ſi clariùs hâc luce evincam, *neglectam* hanc, quam urgeo, *Matheſin*, tibi qui in *Organo Ariſtotelis* verſaris, tibi qui ejuſdem *Phyſicis* invigilas, tibi qui *Ethica* profiteris (ut Medicinam & Juriſprudentiam doctiſſimis Fratribus Profeſſoribus, qui iſta penetrantiùs inſpiciant, intactas relinquam) Tibi etiam qui *Theologiæ* velificas, cuilibet cuicunq; facultati operam daturo maximo eſſe emolumento; Tum deniq; obſecrabo obteſtaborq; vos (*Adoleſcentes*) ut ſi non priſtinam ſplendoris *dignitatem*, hoc ſaltem *Mathematica* apud vos conſequatur, ut non à *Mercatoribus*, non à *Nautis*, non ab *Architectis*, non à ſordido quovis *Mechanico*, quàm ab *Academicis*, *Philoſophis*, *Oxonienſibus*, (qui ἄνδρες λόγιοι audire ſaltem geſtiunt & debent) magnificentiùs æſtimetur. Illud autem, (ut ex notiſſimis ſtrictim confirmetur) in *Organo* veſtro *Ariſtotelico* tractatus ſinguli, annon reconditiores *Matheſeos theorias* paſſim interſpergunt. In *Poſtprædicamentis* quædam *ſine alteratione augeri*, haud aptiùs potuit *Ariſtoteles* oculis ſubjicere, quàm *diagrammate*, *quadrati gnomone circumducto*. Quid *Syllogiſmorum* in *Prioribus* ſtupenda fabrica, nonne *triangulos* nobis & *circulos* ut familiares exhibet? In *Poſterioribus* quomodò exempla intelligantur, In *Elenchis* quo artificio *Briſo* redarguendus, niſi à perito *Mathematico*? Non juſtiùs igitur *Academiæ* valvis, quàm *Organi* affigatur *frontiſpicio*, Οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω, *Geometriæ ignarus hîc non ingrediatur*. Atq; à *Logicis* dum ad *Phyſica* me recipio, miror ſanè quâ fronte has tentamus *ſalebras*, non adhibito *Arithmetices* aut *Geometriæ* radio. Quid enim in 1. *Phyſ.* de *tetragoniſmo*, in 2. de *duobus rectis* in *angulo concurrentibus*, in *tertio* de *gnomonibus compoſitis*, in *reliquis* de *infinitate* magnitudinum? quid deinceps in *libris de Cœlo*? quod διάμετρος coſtæ ἀσύμμετρος? quid cætera de *triangulo*, *pyramide*, & *ſphærâ* octo *pyramidibus* compoſitâ, reſpondebit ἀμαθεὶς? annon quod olim de *Græcis* Monachi, *Græcum eſt non poteſt legi*? Ac ne *Geometria* tantùm hîc deeſſe videatur, attendite quam *Arithmeticam* vobis veſter proponit *Ariſtoteles*. Rationem (inquit, 1. de Cœlo, cap. 6.) quam habent *pondera*, *Tempora* ἀνάπαλιν, *hoc eſt*, *inverſo habebant modo*. Et de *habitabilis terræ* extenſione, 2. *Meteor.* c. 5. *Longitudo* (inquit) ejus *major* eſt ad *latitudinem* quam 5. habent ad 3. hoc eſt in *proportione ſuperbitertiâ*. Hujuſmodi verò in *Phyſicis*, *Ethicis*, *Metaphyſicis*, in omnibus *Ariſtotelis* operibus, paſſim obveniunt: & tamen cùm hæc ignoremus, *Ariſtoteleos* nos eſſe gloriamur. Atqui ut erubeſcant poſthac hi *pſeudoperipatetici* *Ariſtotelicam* venditare diſciplinam, lubet illud de *motûs* & *quietis organo* ex *Ariſtotelis Mechanicis* his aggregare; ut ἀλογίαν neſcio quod ſine *Matheſi Philoſophaſtrorum pecus*, è lethargo exſuſcitem. *Æqualitas* (inquit *Mathematicus Phyſicus*) *quietis cauſa eſt*, ut è contra *inæqualitas Motûs*, angulus autem *rectus* eſt *æqualitatis*, & *ſtatum* facit. Dignum profecto ἀκρόαμα *dignißimo Philoſophorum*, & in universâ

corporum

corporum compage penſiculatiùs animadvertendum. Is enim eſt ratus *Naturæ* tenor, infra cujus *æqualitatem* & *perfectionem* eſt *angulus acutus*, ſupra verò *obtuſus*. Nunquámne autem in nobiſmet ipſis obſervavimus, dum *lectulo* aut humi proſternimur, *parallelos* nos *plano Horizontis*, aut *congruentes* fieri? ideoq; *pedibus noſtris* & capitibus, angulos *rectos* efficere? Cùm requieſcimus verò in *hemicyclo* aut *ſellâ*, rectis *cruribus* & *fœmoribus*, annon à *cruribus* rurſus & *horizonte* rectus *angulus* efformatur? Sic *arbores*, ſic *plantæ*, ſic *animantes*, ſic *Templi hujus* columnæ *ſtatum* ſuum tuentur, quia *perpendiculariter* ab Horizonte erecti, *Æqualitatis* illum & *ſtatûs rectum* cum eodem includunt *angulum*. Quòd ſi *Arbores* à *perpendiculo* deflecterent, *Animantes* incurvarentur, *Columnæ* horsùm inclinarent, vel illorsùm declinarent, annon *anguli* qui tum fiunt *acuti*, aut *obtuſi*, niſi ubivis ſubdantur fulcra, ruinam protinus per motum minitarentur? Sic quando è *lecto* ſurgimus (ut hinc colligit *Ramus*) *quatuor acutos angulos* utroq; *brachio* & *latere*, *fœmoribus* & *tibiis* efficimus, quia *angulus acutus* cauſa *motûs* eſt. Sic *ambulatio* & *progreſſus*, tibiarum fœmorumq; *angulis obtuſis* promoventur, quia *angulus* etiam *obtuſus* cauſa motûs eſt. Adeò ut quà *quieſcimus*, quà *ſurgimus*, quà *ſedemus*, quà *ſtamus*, quà *ambulamus*, & *progredimur*, nil aliud (ſi *Ariſtoteli* fides) præter *Geometriæ praxin* exhibemus.

7. Aſcendere ſi jam placeat ad *Theologica*, ibi primò occurrit *Arca Noë*, de quâ Scepticè altercantur *Scoptici*, quomodò tot animantium ſpecies in ſuo geſtaret *utero*. At *Theologus Mathematicus* ita facile hæc expediet, ut conſtabit *irridentibus* fidem, animantibus *locum* non defuiſſe. Pauciſſimis ut rem tantam complectar. Poſita ipſius *longitudine* (ad *Scripturæ amuſſim*) *trecentorum cubitorum*; *latitudine*, *quinquaginta*; altitudine, *triginta*; ut *longitudo ſextupla* ſit ad *latitudinem*, *latitudo* ad *altitudinem* in *proportione ſuperbitertia*, (quam obtinet, juxta *Ariam Montanum*, humanum cadaver, unde ſarcophagus eâ ratione ei eſt adaptandus.) Ex ductu hujus *latitudinis* in *longitudinem* emergunt 15000. *cubiti quadrati*; qui aucti rurſus per *altitudinem*, *quadringenta quinquaginta mille cubitos*, totius fabricæ *concavitatem* exhibent. Numerentur tum vel ex *Plinio*, *Geſnero*, vel *Aldrovando* (quod ſcrupulosè facit *Buteo*) 150. *terreſtrium animalium* ſpecies, in quibus *bove* aut *equo* vaſtiores vix ſunt plures quàm *ſex* (*ſerpentes* enim & è *putredine orta*, ab hoc cenſu excludimus) & inquiramus, num per tot *cubitorum diaſtemata*, ſuppeterent iis cubilia? ſi *ſentina* deputetur *fundo*, ad dictæ *longitudinis*, & *latitudinis* extenſionem, cujus *altitudo* ad quatuor *cubitos* elevaretur, Reſtaret tamen *tribus iſtis triſtegis* (quarum meminit *Scriptura*) *intervallum infimæ* 12. *cubitorum*, in quo *Animalia majora*; *mediæ*, 8. in quo *minora*; *ſupremæ*, 6. in quo *Noah* cum ſuâ familiâ commodè diſponerentur. Ecquid igitur *anguſtum* vobis videtur hoc *receptaculum*? Hîc nihil dixi de *camerâ* in *vertice*, *altitudine* cubiti conſummata, in quâ (quæſo) quot *volucres* tanquam in *Cœte* nidificarent? Adde *ſacros*, adde ætatis iſtius *cubitos*, tantò *noſtros* ſuperare, quantò *Antediluviani* iſti *Gigantes*, poſteris fuêre proceriores. Iſta autem omnia qui ad *calculos* revocat, non tantæ molis *anguſtias*, temerè cauſabitur. Hanc vel multò clariorem adſerat facem, *locis* alioqui *obſcuris*, hâc facultate *inſtructus* logiſticâ ἀσης hoc *ſecundo ſenſu* λόγιος, qui ex ore præpotentis *Dei*, ſuſpiciat de *fabricâ mundi* terræq; *baſibus*, de *valvis*, & *vectibus vinclisq*, *maris* & *terræ*, oracula *Geometrica*; *oracula Optica*, de *lucis* & *tenebrarum* diverſorio; oracula *Aſtronomica* de *Chima*, & *Cheſil*, & *Maſſaroth*, de *Plejadibus*, *Orione* & *Arcturo* cum *filiis ſuis*; Oracula *gnomonica*, de ſtatu ſolis in *Gibeah*, & ejuſdem, ſive *umbræ regreſſu*, in *Ahazi* horologio; oracula demum *Geographica* de terræ *ſemitis*, & *limitibus*. Hæc (inquam) *Mathematico* elatus remigio jucundiſſimè meditabitur ἄνηρ λόγιος, Platoniſq; ἀκρόαμα tandem ut Divinum agnoſcet, τὸν θεὸν μάλιστα πάντων γεωμετρεῖν, qui *numero*, *menſurâ*, & *pondere*, hoc eſt ad normam *Arithmeticam*, *Geometricam*, & *Iſoropicam* cuncta delineavit & moderatur. In veſtram gratiam iſta fuſiùs expoſui (B.) ne diutiùs *vileſcant* ſub *ſcamno* iſta ſtudia, quæ ita uſui eſſe poſſint in *ſublimioribus*, & tanto ſalario in hoc loco *incomperabilis Mecœnatis* largitate, ad debitum *nitorem* hodie reſtituuntur. Illis (mihi credite) vili venerunt, qui λάβας οὐκ ἔχων φιλοσοφίας (ut loquitur apud antiquos hâc de re *Xenocrates*) *anſas* ipſius *Philoſophiæ* negligunt, & ut invidi *Phariſæi* in Evangelio, alios arcent ab hiſce *adytis*, quia ipſi priùs *januam* non aperuerunt. Hîc autem quod aliud vobis palpum obtrudunt, quam *dioptron* illud *vitreum* nuper inventum, quo *pediculus* dilatatur ad *locuſtæ* magnitudinem, & *pullus* exponitur ad volandum abſq;

D. H. Savilii.

Math. 23. 13.

alis

aliis. Veſtro igitur *neglectu* non eveniat, ut quemadmodum *Chriſtum* ſcribentem in terrâ deſervêraut, tàm *ſeniores* quàm *ultimi*, Joan. 8. Ita *Profeſſores* veſtri *peritiſſimi*, & *laborioſiſſimi* ſoli maneant in *Cathedrâ*, & fruſtra delineant *diagrammata*, quæ *pauci* perfunctoriè intuentur, quia *plures* nolunt intelligere. Sed iſta ut vehementiùs urgeantur, opus eſt altero *Apollo*, qui prodit hîc tertio ſenſu ἀνὴρ λόγιος, vir *diſertus*, *facundus*, ſive *eloquens*, quo charactere etiam *preſſiùs* vobis eſt commendandus.

8. Spiritûs vis *flexanimis* non excludit linguæ *limam*: ſed qui pectori dedit ut *eructet verbum bonum*, confert etiam *linguæ* ut ſit *calamus velociter ſcribentis*. Tergiverſatur *Moſes*, Obſecro Domine לֹא אִישׁ דְּבָרִים non ſum *vir verborum*, non ſum *eloquens*, ab *heri* & *nudius tertius*: Exod. 4. Sed quid reſpondet *Dominus*, *Quis fecit os hominis*? aut quis *fabricatus eſt mutum & ſurdum*, *videntem* & *cæcum*? nonnè ego *Jehovah*? Perge igitur, & ego ero in *ore tuo*, doceboq; quid loquêris. *Jeremiam* expectoravit haud diſſimilis *hæſitantia*; *Ah*, *ah*, *ah*, *Domine Jehovah*, *ego neſcio loqui quia puer ego ſum*. Sed quid reponit qui munus injunxit; *Univerſa quæ præcipio tibi loquêris*; ne timeas ab *hominum facie*, *quia ego tecum ſum & eruam te*. Jer. 1. Dabitur vobis in *illâ horâ* (inquit *Salvator* ſuis Diſcipulis) quid loquemini, *Math.* 10. In *anguſtiis* ſcilicet quæ antevertunt *deliberationem* (ſicut reſtringit *Gloſſa*) addo ipſe & *Diſcipulis*, quibus poſtea inſedêrunt linguæ *diſpertitæ*, Act. 2. Aliter & ab *aliis* exigitur pro ratione *loci*, *temporis*, *donorum*, & *auditorum* διάκρισις debita, *attentio*, & *induſtria*. Siquidem qui urget *finem*, urget illum per *media*, quibus *uti ſaltem* oportet non *niti*. Quò ſapientior erat *Eccleſiaſtes*, eò magis *inveſtigavit*, & *concinnavit parabolas multas*, Eccleſ. 12. Unde *Paulus* ſollicitus eſt *de membranis*, 2. Tim. 4. *Sapiens legit & audit*, & *addit doctrinam*, *Proverb.* 1. ſed in opere *ceſſatio*, ſeu in operando *torpor*, non *diminuunt* tantùm, ſed & *corrumpunt* habitus, ſicut rectè tradunt *Scholaſtici* ad 1m. 2æ. *Aquin. q.* 53. *a.* 3. Quòd ἀνὴρ λόγιος fuerit noſter hic *Apollos*, evincit *textus*: ſed *qualis Orator*, ſive à *Naturâ*, ſive ab *Alexandrinorum inſtitutione*, in ſcenam prodit, non ita obvium eſt unicuiq; ſtatuere: ſive ut *Menelaus* ille apud *Homerum deſtinatis* quibuſdam nitebatur ſententiarum *pugiunculis*, ſive *ſuavitate Neſtoriâ*, ſive *concitato Ulyſſis impetu* & *affluentiâ*, videant iſti *Critici loquutuleii*, quibus nodum in ſcirpo quærere vacat. Nobis ex fructibus *arbor* ſemper eſt æſtimanda. Loquebatur *liberè*, in verbis immediatè textum conſequentibus. *Multum contulit iis qui crediderunt* per gratiam, v. 27. ἐπιτόνως, *magnâ contentione* ſive *vehementer Judæos redarguebat publicè*, verſ. ult. Qui *liberè* cogitata profert, bene *affectis* prodeſt, *recalcitrantes* eo quo par eſt revincit *ardore*, Annon *Orator* ſive ἀνὴρ λογιὸς cuivis adaptatus *Cathedræ*, vobis videbitur, ut cunq; ſecum non adferat *vellicantes*, & *calamiſtro* tantùm non *ambuſtas* hujus ſeculi *ſententias*? De Anomæis habet *Epiphanius Her.* 76. quòd non ſollicîti fuerint de aliquo ad vitam hominibus, à *Deo præcepto*; ſed ſolùm *promptus* erat illis *ſermo*, *Per unum verbum omnia*. Quam *porriginem* & *Juniores* noſtros hodiè infeciſſe, non tam rident *Æmuli*, quam indignantur ex priſca diſciplina *maturi* & *cordati*. *Demoſthenis*, *Ciceronis*, aliorumq; *claſſicorum*, majoribus noſtris antehac arriſit *ſtylus*: nunc verò ſi *conciſam* quamvis *periodum*, vel *Epigrammatiſtæ* non *abrumpas* aculeo, vel *effronti* non infles *epitheto*, ut (*fulgetri* inſtar) *feriat* potiùs, quàm *illuminet*; *titillet*, quàm *teneat*; *plumbeus* audies, *incompoſitus*, *diſſipatus*, *Ciceronis equus gradiarius*, nihil eſt ad *Parmenonis ſuem*, recitet vel ipſe *Plato*, pro *Socrate Apologiam*, & vix erit è noſtris *delicatulis*, qui vel aures arriget, aut inclinabit. Quò ſe verteret hodie *Chryſoſtomus* cum *aureo* ſuo *flumine*, aut *Baſilii* æquabiblis *ſuaviloquentia*, aut *Hieronymi* illimis *Torrens*, aut *Lactantii ubertas lactea*, ſi in recentes hos *Ariſtarchos* inciderent. *Calvini* valuêre haud ita pridem in *Inſtitutionibus nervi*, nec diſplicuit *Melanchonis ſimplicitas*, aut in *Juello* noſtro *gemnea* quædam *pelluciditas*. Nunc apud *vetuſtiores*, *Minutius* ſolummodò propter tres aut quatuor ad ſummum ſchedularum *quaterniones* manet *Fælix*, *Tertullianus* præ *tribus Tullii* maſculè loquitur. Inter *modernos Argutuli* quidam vix nominandi, ducunt familiam, transferuntur eorum *ſuccidiæ*, in quamvis ἀναβίγυσιν, expectantur eorum *raptus* è quâvis *cathedrâ*; ſordent *Scholaſtici*, vileſcunt *Mathematici*, ſputum vix effugiunt *Profeſſores*, qui non didiceruut, ad *iſtos poppiſmos* repueraſcere. Credo ſi *Paulus* reviviſceret, non deeſſent *Corinthii* qui *infirmitatem* ſermonis illi objicerent: & ſi pugnaret tantùm *Apollos* ex *Scripturæ* phraſi, vix videretur quibuſdam ἀνὴρ λόγιος. Sed hujuſmodi non diu ſplendent *Meteora*, nec

in

in *nuce perforatâ* quærendus eſt *nucleus*. Recenti noſtrâ memoriâ quamvis ferè in oratione *periodum* inchoavit *Quemadmodum*.] Poſtea invaluêre ἀποσιώπησις & *paranomaſiæ*, jam circumvolitant *ſtricturæ*. Sed quod nimium *afficit*, & *parum prodeſt*, diu non poteſt placere. *Cypriani* ad *Donatum Epiſtolâ* quid *puncticas* hodiè promant noſtri *ſeplaciarii*? In *Theologico* tamen *theatro* eundem nunquam poſteà aut rarò induit *cothurnum*. Quid prohibuit? Subjecti proculdubiò *gravitas*, & perſonæ *modeſtia*, Quapropter, *iſte vir ſanctus*, (inquit *Auguſtin. de doct. Chriſt. l. 4. c. 14. & poſſe ſe oſtendit ſic dicere, quia dixit alicubi*; & *nolle poſt* modum *nuſquam, quia poſtmodum nuſquam ita dixerit*. Erubeſcit enim matronalis *caſtitas*, ad calamiſtro *ambuſtos cincinnos*: unde *peritiæ genus* in *hujuſmodi* (ducit *Caſſiodorus*) *vitare interdum quod doctis placeat*. Ne *ſeminetis* igitur vos (B.) quod *horreum* poſteà vix intrabit: nec *ducatis lineas*, quas *maturius inducet judicium*, & flagellum contextum è *Servatoris funiculis*, è templo tandem ejiciat. Fellis acrimonia *Tobiæ* aperuit *oculos*; neq; *ſeducit* ſemper, qui nonnunquam *manuducit* per ſalebras. Ecce unde emerſit noſter *Apollos* ἀνὴρ λόγιος, quod *indicaſſe* pænè vobis ſat erit, *provectioribus* aliâ vice opportuniùs explicandum. *In præfat.* 1o 2.

9. Δυνατὸς ὢν ἐν ταῖς γραφαῖς] Potens erat in Scripturis, Participium ὢν indicium eſt trajectionis verborum in textu, nam potens erat priùs *Apollos*, in *Scripturis* quàm pervênit *Epheſum*. Hoc ordine igitur quo propono, Legit *Syrus*, ut *Senſus* poſtulat, & nos *perpendamus*. Bonus *Textualis*, bonus *Theologus*, clamant *plurimi*, qui vel de *Theologiâ*, vel de *textu*, vel de *bonitate*, parùm ſunt ſolliciti, modò ſub prætextu *textûs* aut *Theologiæ*, bona conſequantur *Theologorum*. Sed aliud eſt, in *Scripturis* eſſe *frequentem*, aliud *potentem*, aliud *ſententias* memoriter tenere, aliud *urgere* ad vivum *ſenſus* & *ſententiam*. Opus eſt enim hic *intellectu* tam verborum quàm *Rerum*, opus eſt *judicio*, quod *abſtruſa* eruat, obſcura illuſtret, ambigua diſtinguat, diverſa conferat, adverſa componat, hyperbata (ſi tulerit occaſio) *diſponat*, & *reponat* ordinatâ ſerie. Requiritur demum *memoria* & *lingua*, jugi excitata praxi, ut *percepta retineantur*, & *efferantur* in bonum publicum. Iſta perficiunt *conſtans lectio*, penetrans meditatio, fida & *tempeſtiva* collatio. Per iſtas aſcendit *ſcalas* à *Baccalaureatu* ad *Magiſterium*, à *Magiſterio* ad *Doctoratum* pia *ſedulitas*, & fæliciter abſolvit *curſum* quem opportunè inchoavit. Quid ſegneſcitis igitur (Adoleſcentes) in ipſo limine? Annon animadvertitis quàm *prolixum* iter vobis ſit emetiendum? Potens qui vult eſſe in Scripturis ſacris, neceſſe eſt ut in *Scriptis claſſicis* non ſit *infans* antea, & *imparatus*. Linguæ, præſertim Græca & *Hebraica*, non faſtidiendæ ſunt ut *Abecedariæ*, ut non ex *cænoſis rivulis*, ſed ex *fontibus* fiſtulas impleatis. Cur verò profitentur *ſcamnis*, & *parietibus* inſtructiſſimi in hoc genere *Myſtagogæ*, nec conveniunt plerumq; Auditores qui exacuant induſtriam? Si tantum ſuperſit otii ad *Gallica*, *Hiſpanica*, aut *Italica idiomata percipienda*; ſi tot anni ſeponantur *deſtinatò*, recolendis *Latii* delitiis; ſuffurari non poteſtis *aliquas ſubſicivas horulas*, quibus *Dei* & *Servatoris dialectis*, dialectis in quibus tradiderunt omnes Prophetæ & Apoſtoli veſtræ ſalutis *myſteria*, cum effectu & fructu impendatis? Hæc ſi *domi* non haberetis, peregrè eſſent ſummo cum *labore* & *impenſis* redimenda; Præcurrit hîc noſter *Apollos*, qui tandem pervenit *Epheſum*. Videamus breviter, cur hoc fecerit, & quid ibi egerit.

10. Κατῆλθεν εἰς Ἔφεσον] Devenit (ſive pervênit) *Epheſum*.] Forſitan ut inter *Græcos* iſtos liberiùs *pergræcretur*; aut loci *celebritate* paſceret oculos, aut ſtupendi *Templi* conſpectu *curioſitati* ſatisfaceret, quo genio *excurrunt* è noſtris *aliqui*, & nil præter *ſimias* & *pavones* nobis referunt. Atqui *ſanctior* & *conſultior* hunc noſtrum egit *ſpiritus*. Didiciſſet proculdubiò ex *Johanne*, *Meſſiam* advêniſſe, *miraculis* inclaruiſſe, *curſum* confeciſſe, Hoc prædicare Apoſtolos, *Gentes* paſſim credere, hoc præcipuè obſtare, Atq; iſta omnia *Scripturis* in quibus erat *verſatiſſimus*, conſentire. Quid ergò (ſecum reputat) domi ne torpidus hærerem? & ſaluti propero, tam ſupinè *conſulam*, ut non arriperem, quæ expoſtrigitur, proficiendi anſam? aut *populares* tam ero *iniquus*, ut obſtinati pereant, ſi *meâ* ſerventur *operâ*? *Peregrinatur* igitur, ut ipſe *diſcat*, & alios *doceat*. Ut *Paulus* aſcendit *Jeroſolymam*, & *collationem* cum Apoſtolis inſtituit, ne *fruſtra videretur aliàs cucurriſſe*, ad *Gal.* 2. Ita *Epheſi* recentèr impreſſa, legit hic *Apollos Pauli* veſtigia; nec dedignatur *tantus* in *Iſrael Magiſter*, abjecti cujuſdam *ſcenopegi*, *Aquilæ* ſcilicet & *Priſcillæ* uxoris ejus fieri *diſcipulus*. O prædican- 1. Reg. 10. 22.

prædicandum ſeris nepotibus ſinceræ humilitatis vivum exemplar! Sedet *Doctor* juxta *rexeuten*, forſan *virum*, & *nentem fœminam*, attendit, *expendit*, non *qui* ſed *quid* Marh. 13. 31. loquuntur, nec *quo* verborum *apparatu*, ſed *ſenſûs* pondere. En vobis *ſinapi* illud granum, quod minimum licet ſit *ſemen*, *arboreſcit* tamen, ſic ut *volucres* cœli *veniant* & *niduleutur* in ramis ipſius; ubi humilitas *humectat* radicem, *ſuccus* truncum, nec deſerit donec gloria *efflorescat* in cacumine. *Incipiat* igitur *profectus* veſter, ubi deſinit hæc mea *Paræneſis*, non pœnitebit *Apollo* ſequi. *Judæus* (ut videtis) evadit ἀνὴρ λόγιος, *Logicus*, *Philoſophus*, *Orator*, *vaſtator* nomine, ſed verbi *inſignis præco*; *Ægyptius* potens in *Scripturis*; *Alexandrinus* non ſe affigit natali glebæ, ſed excurrit ut Chriſtum lucrifaciat: quid non confert Deus *humilitati operoſæ*?

Luc. 10. 37. Abi tu (ut Juveni dixit *Servator*) & *fac ſimiliter*. Cui cum *Patre & Spiritu S. ſit omnis Laus & Gloria in Sæcula Sæculorum.*

AMEN.

FINIS.

CONCIO IV^ta.

Habita ad

ARTIUM BACCALAUREOS

IN DIE CINERUM,

De *Apollos Zelo & praxi.*

ACT. 18. 24, 25.

Iudæus *autem quidam* Apollos *nomine*, Alexandrinus *genere, vir eloquens, devenit* Ephesum, *potens in Scripturis.*

Hic erat edoctus viam Domini, *& fervens spiritu loquebatur, & docebat diligenter ea, quæ sunt* Domini, *sciens tantùm Baptisma* Iohannis.

1. PLacuit semper consultioribus, illa *Aristotelis methodus.* 1. *Ethicor.* capitis septimi *initio*, δεῖ ἰσῶς ὑποτυπῶσαι πρῶτον, ἐνθ' ὕστερον ἀναγράφειν, *adummbrandum est illud primò, quod tractaturi sumus*, & *posteà explicatiùs describendum.* Textus exhibet, (ut videtis, viri, *Patres*, & *Fratres*, *vosq; Laureati Adolescentes*, quorum gratiâ hodie pro more hoc in loco convenimus) illustrem *Incipientis*, & *Progredientis typum* ab omnibus studiosis observandum. *Primò Quis*, & *Qualis*, ad munus *discendi* & *docendi* hic *accessit*; *Deindè* quâ *alacritate studio*, & *industriâ progressus* fecerit. Quis? *Judæus* quidam: Ideoq; à *fœdere* non alienus; Nomine *Apollos*, *vastator*, sed *re*, & *Religione* servator; *Genere Alexandrinus*; *Regeneratione* ferè

ferè *Ubiquitarius*, ut quod incepiſſet, perficeret. Hanc præcipuè ob cauſam *Ægyptum* relinquit, & petit *Epheſum*, ut inveniret, & conveniret *tales*, per quos proficeret. At *Qualis* tandem? ἀνὴρ λόγιος, ut habet Textus; *Logicus*, *Rhetor*, *Philoſophus*; quodq; his præſtantius, *Potens* erat in *Scripturis*; quibus *Aptus*, *habilis*, & *idoneus* cenſeretur, ut admitteretur ad *Lectionem* cuiuſlibet Libri *Evangelici*. De iſtis autem omnibus Memini me abhinc *ſexennio* apud conſimilem *Candidatorum coronam* hoc ex loco dixiſſe. Non obtundam autèm veſtram attentionem, *repetitionis* tædio. Ità *formatus* â Naturâ, *informatus* curâ, *conformatus* affectu, ad res præclarè aggrediendas, ut delineavi *verſ.* 24. prodit hic in *famæ* theatrum, & *Scholas* publicas, ſummæ expectationis *Neophytus*; ad *ſpecimen* tantum indolis exhibendum, & quaſi pro *Gradu* determinandum. Ad quem *præſentat* illum hic 25. verſus, *Deo Ductore*, & comiti veſtro *candore*, â me hoc tempore explicandus. In quo 1. obſervemus *Ingreſſum*, Hic erat *initiatus* in *viâ Domini*; Deinceps *Progreſſum*; Cujus 1. occurit *Cauſa*; *Fervens erat Spiritu*: deindè *Effectus*; *Loquebatur* & docebat *diligentèr* ea quæ ſunt *Domini*. *Poſtremò*, Tenuis *Apparatus*, & curta quaſi *ſupellex*; Sciens tantùm *Baptiſma Johannis*. Animadvertitis proculdubio (*Auditores*) quàm *affabrè* cohæreant ſingula; *Incepiſſe*, *fruſtra eſt*, niſi *progrediamur*, non tantùm in *Nomine*, ſed in *viâ* Domini: *Progreſſus claudicat*, ſine *Zeli*, & *fervoris* ſtimulo; *Zelus defervet*, ubi *loquendi*, & *docendi* ventilabro diligentèr non *excitatur*; *Diligentia proruit* in *præcipitia*, niſi in ijs, quæ ſunt *Domini*, impendatur. *Dominus* Minuta non ſpernit, quæ *prompta* immittit *voluntas* in ipſius *Gazophylacium*. Ut enim primò vivimus *vitam plantæ*, deinde, *Animalis*, tandèm *Hominis*, juſta veſtrum *Ariſtotelem*, in *Naturæ* utero; Ita in hujus *Almæ Matris Academiæ* gremio, â *Baccalaureatu* ad *Magiſterium*, â *Magiſterio* ad *deſtinatam* aliquam *Profeſſionem*, Gradatim eſt aſcendendum. Partus hic *juſto tardior*, excludit tantùm excordem carnis *maſſam*; nimis *præproperans*, abortivum, & *monſtroſum* animal. At *Apollos* noſtrum recepit auſpicatior Animorum *obſtetrix*; Maturè enim erat *edoctus* viam Domini. Quod fæliciſſimum indicat *Ingreſſum* â nobis 1. in loco penſitandum.

Luk. 21.

2. Οὗτος ἦν κατηχημένος τὴν ὁδὸν τοῦ κυρίου: *Initiatus*, legit *Beza*; Inſtitutus, *Eraſmus*; *Syrus Metalmad*, edoctus, ſive factus diſcipulus; *Arabs Jatalammado*: Singuli innuunt, ſic initiatum, inſtitutum, edoctum, factum illum fuiſſe Diſcipulum, ut concepiſſet ſemina ampliorís *Meſſis*, quæ in herbâ interìm *exareſceret*, niſi ulteriùs excoleretur. Verbum autèm (κατηχημένος) in textu non ſimplicem tantum ingerit inſtitutionem, vel doctrinam *qualemcunq; elementarem* ſed *ſacram*, *articulatam*, *ſuccinctam*, *methodicam*, non *auribus* ſolùm, aut *palato*, ſed *captui* & *cordi* Auditoris adaptatũ, ut non tàm *doctior* indè, quàm *melior* evaderet. Non inſcitè igitur quoad ſenſum licèt non adeò politè verba tenùs textum quis expreſſerit, Hic erat *Catechizatus* τὴν ὁδὸν τοῦ κυρίου: *id eſt* καὶ τὴν ὁδὸν τοῦ κυρίου (ut notat Piſcator) juxtà viam *Domini*. Nàm ità alibi vulgaris; Communicet is, qui *Catechizatur* verbo, ei qui ſe *Catechizat*, in omnibus; ad Galat. 6. 6. undè *Catecheſis*, *Catechiſmus*, *Catechizo*, *Catechumenos*, *Catecheta*, *Catechiſta*, vulgatiſſima adhùc obtinent in *Eccleſiâ* vocabula. Quid autèm eſt *Catechiſmus*, niſi *ſumma* Doctrinæ Chriſtianæ, ità Incipientium *captui* attemperata ut parati ſemper ſint, ad *rationem reddendam* ejus, quæ in illis eſt, ſpei? 1. Pet. 3. 15. Et quinam *Catechumeni*? niſi *ita inſtituti*, *imbuti*, & *initiati*, ut ex talibus *rudimentis*, ad perfectionem ulteriorem provehantur? ad Hebr. 6. 1. Tales verò non ex literis tantùm, ſed διὰ στόματος, *vivâ voce*; nec publicè *ſolùm* à *Profeſſoribus*, ſed privatìm â *Parentibus*, *præceptoribus*, *Tutoribus*, religioſè informabantur. Quod non ſatis erat præſtitiſſe, niſi repetendo, & reſpondendo memoritèr oſtenderit *Auditor* ſe, quod præceptum erat, ad unquem intellexiſſe, & tenuiſſe.

3. Non opus eſt ut *claſſes Catechumenorum* è Priſcis deducem: quomodò Alij erat *teneriores*; alij *provectiores*; quo tempore tranſièrunt ſic *initiati*, â *Catechumenis* ad *Competentes*; â *Competentibus* ad *Fideles*; quo loco, extra *cancellos* ſtabant *Catechumeni*, quem appellabant *Catechumenon*, quales tabulæ *Catechiſticæ* aſſervabantur in ſingulis *Eccleſiis* (juxta Decretum *Concilij Neocæſarienſis*) & hujuſmodi. Hora properat; & mihi multa reſtant percurrenda. Illud tamen non omittendum de *Initiatis* ſivè μεμυημένοις apud *primævos* Scriptores, Illos fuiſſe *tales*, quibus *Sacris*, & *Sacramentis* licuit quidèm intereſſe, ſed non cum *Fidelibus* liberè communicare. Hinc *Fideles* σύμυστας, & μυσταγωγημένους paſſim audiunt. Quibus opponuntur

Cap. 5. 40.

Concil. Laodicenum c. 29.

ἀμύητοι

ἀμύητ apud *Chryſoſtomum*, *Theodoretum*, & *alios*. De illis crebrò intercurrunt inter *Græcos Patres*, familiares iſtæ loquendi *formulæ*, "ἴσασιν οἱ μεμυημένοι: "ἴσασιν οἱ συμμύσται: "ἴσασιν οἱ πιστοί: "ἴσασιν οἱ μυσταγωγούμενοι τὸ λεγόμενον. Norunt *Initiati*, *Symmiſtæ*, *Fideles*, *Myſteriis* reconditioribus *imbuti*, illud quod dicitur. Annon etiam apud *Ariſtotelem* veſtrum, obſervantur *Exoterica*, & *Acroamatica*; apud *Iſodorum* celebrem Philoſophum (referente *Photio*) "ῥητὰ, καὶ ἀπόῤῥητα. Infanda (ut ita loquar) & efferenda; apud *Jamblichum*, & ceteros *Pythagoricos* ἀπόῤῥητα καὶ ἄῤῥητα, ea quæ annuntiari ab omnibus poterant & Arcana temere non evulganda? Ita *Baſilio* ſunt κηρύγματα, *præconia* quæ licuit *publici juris* facere; & δόγματα, *illotis* (quod aiunt) *manibus*, aut mentibus, non attingenda? hoc eſt, τοῖς ἔξω, ab illis qui ſunt prorsùs extra *fidelium* communionem, vel à *Chatechumenis* non ſatis inſtructis, ut explicat *Nazianzenus*. Illis tantùm conceſſum fuit περιχωρεῖν, vocem *circumſonantem* audire, (phraſis eſt *Cyrilli Hieroſolymitani* in *Prochatecheſi*:) poſteà verò ἐνηχεῖσθαι, *intùs* erudiri, cum acceſſiſſet in *fidei myſteriis* plenior inſtitutio. Atq; hinc illa quaſi proclamatio *Diaconorum* in veterum *Agendis*, & *Liturgiis*, "ὅσοι κατηχούμενοι, "ὅσοι ἐνεργούμενοι, "ὅσοι ἀμύητοι προέλθετε, vel ἔξω περιπεῖτε: Quicunq; eſtis *Chatechumeni*, quicunq; *poſſeſſi*, quicunq; fidei *Myſteriis* non ſatis *Initiati*, *Procul* hinc, *procul* ite *profani*; foràs ambulate. Quem & ritum innuunt & probant, *Dionyſius* ille dictus Areopagita (quiſquis demum fuerit) *Ambroſius*, *Auguſtinus*, *Gaudentius*, & alii ejuſdem ſeriei & diſciplinæ. Τέλεται autèm iſta, ſivè *Sacramenta*, *Chatechumenis*, & non ſatis *Initiatis* minimè evulganda, precipuè fuerunt *ſacroſanctæ Trinitatis* ὁμοούσιον, venerandum *Euchariſtiæ* Myſterium, *Epiſcoporum*, & *Presbyterorum ordinatio*, preces nonnulle *matutinæ*, & *veſpertinæ*, ad quas non admittebantur niſi *fideles*; idq; διὰ τὸ ὕψωμα τῶν διδασκομένων: propter *ſublimitatem*, eorum quæ docebantur, ne carperent *profani* ea, quæ non ſatis caperent (ut rationem reddit *Cyrillus Hieroſolymitanus*.) Vel ideò talibus non produntur, non quià *ferre* non poſſunt; ſed ut tanto *ardentiùs* ab iis concupiſcantur, quanto honorabiliùs occultantur, Auguſtin. in Johannem tract. 96. Præceſſerat *Ambroſius*, *inopinantibus* melius ſe infundit lux *Myſteriorum*, quàm ſi eam *ſermo* aliquis præcurriſſet. Succedit *Claudianus Mamertus*; Mortalium generi *naturâ datum* eſt, ut *obſtruſa fortiùs* quærat, *negata*, magis ambiat, tardiùs *adepta*, plus diligat; & eò *flagrantiùs* amatur *veritas*, quo vel diutiùs *deſideratur*, vel *laborioſiùs* quæritur, vel tardiùs invenitur. Concludit *Baſilius*, *Rei* pedibus expoſitæ, præſtò ferè eſſe contemptum: Nam ubi non præceſſit aliqua ſaltèm *difficultas*, vileſcit *poſſeſſio*. Quid quòd ipſi *Judæi*, *Salomonis Cantica*, & alia nonnulla ejuſdem commatis, *Neophytis* legenda non permittebant, nè Myſticè prolata, aliorsùm reparentur? An *Apollos* hic noſter *baptiſmum* adhuc ſuſcepiſſet, non omninò conſtat. *Catechumenum* illum fuiſſe in viâ Domini *textus* indicat. Ab *Eſſeis* inſtitutum putat *Jeſuita Lorinus*: quos *Chriſtianos* tum fuiſſe, ſategit confirmare, ex *Euſebio*, *Hieronymo*, *Epiphanio*, *Caſſiano*, *Chryſoſtomo*, *Bedâ*, *Zozomeno*, *Nicephoro*. Sed preter *textum*, iſta jungeruntur omnia; nec aliis è ſuis ſatisfecerint. Ex *Scripturis* proculdubiò *Veteris Teſtamenti*, in quibus erat *potens*, didiciſſet *Meſſiam* certò venturum, & ex *Judiciis* quamplurimis haud *levibus*, tunc temporis fuiſſe expectandum. Accepiſſet ſive *famâ* tantùm, ſive expreſſioribus mediis, *Johannem*, celebrem apud ſuos *Prophetam*, & *Baptiſtam*, digito ipſum *demonſtraſſe*, & *Baptizâſſe*. Audiviſſet fortaſsè ulteriùs, *Meſſiam* ipſum, (per integrum ad minùs *triennium*) *Evangelium* propagâſſe, *miraculis* confirmâſſe, ſanguine tandèm *obſignaſſe*, *reſurrexiſſe*, *in cœlum aſcendiſſe*, & *diſcipulos* reliquiſſe *fidiſſimos*, qui ſtrenuè hoc mundo prædicabant. Hos igitur ut conveniret, & pleniùs, & diſtinctiùs aliquid ab ipſis diſceret, nativum vertit *ſolum*, *peregrinatur*; & poſt varia loca peragrata, tandèm devenit Epheſum. O *Catechumenum probum*, *induſtrium*, *animoſum*, à poſteris omnibus prædicandum, & imitandum!

De Spiritu c. 27.

Orat. 42.

Cæleſt. Hierarch. cap. 2.

In Procatech.

In libro de Initiandis in initio cap. 1. De ſtatu animæ L. 2. c. 2.

Libro de fide.

4. Malle debemus (conſulente *Auguſtino*) *veriores*, quàm *diſertiores* audire ſermones: Ut malumus *prudentiores*, quàm *formoſiores* habere amicos. *Veritatem*, & *prudentiam* in propoſito typo quis ſanus non amplectitur? ubi non tantùm verba ſuadent, ſed res loquuntur? Quòd ſi fictas *Poetarum* fabulas, & ad voluptatem animorum excogitatas, *boni* tamèn (qui habentur) *Grammatici* (obſervatio eſt B. ejuſdem patris de *catechizandis rudibus*) ad aliquam utilitatem referre conantur; quanto nos decet eſſe cautiores, ut hæc tàm *illuſtria*, ac *ſalutaria*, tam appoſita &

De Catechizandis Rudibus c. 9.

posita ante oculos, non *oculos* tantùm & *aures* feriant, sed & *medullas* penetrent, & succum generosiorem procreent ad alacritèr illud perficiendum, quod piè aggressi sumus, nec absq; scandalo negl ectui habeamus. Celebre est illud *Johannis Hussi* insomnium (habetur ut aliàs sic in nostro *Martyrologio*) quo videbatur *Imagines* nonnullas in Ecclesiæ suæ *fenestris*, aut parietibus depingere; quas statim obliterabant *Monachi*, & *sacrificuli*, sic ut nusquam comparerent. Sed accessit alius (quem *Lutherum* fuisse nostri ferè interpretantur) & sic ad vivum renovavit, ut posteà luserunt *oleum* & *operam*, qui conati sunt inducere. Et quænam ratio reddi potest, cur tot probitatis, pietatis, modestiæ, & liberalium omnium Artium, & Disciplinarum impressæ, & conceptæ hoc in loco *Ideæ*, tàm subitò posteà evanescunt, aut adulterantur fucis *Jesuiticis*, *Politicis*, aut *fanaticis*? vultis ut ex textu apertè dicam? Non prodeunt ad praxin *Juniores* nostri, cùm nostro hoc *Apollo* satis *Initiati*, & *catechizati* in *Viâ Domini*, vilescit *Catechismi* simplicitas; *Catechumenum* & *Catechistam* audire, probri loco habetur. Ità multi proruunt ad κέρατα, priusquàm apud *Initiatos* deposuerint *cornua*. *Implumes* se comparant ad *volatum*; quos celebres alibi esse *Theologos* prius accipies, quàm sediisse hic inter *Baccalaureos* ad pedes cujuspiam *Gamalielis* unquàm conspexeris. Hinc tot infælices de *Sabbatho*, & *Ceremoniis*, de *pileis*, & *palliis*, & cæteris hujusmodi *adiaphoris* excitatæ rixæ. Neq; enim norunt ἀπλάδες tales, & ἀσπιλετοι, quo artificio apud *Populum*, & *Patronos* aliàs inclarescant, nisi *Artibus*, *Academiis*, *Gradibus*, & omni *priscæ disciplinæ*, vel occultò detrahant, vel *apertè* bellum indicant. Doletis igitur tot è nobis egredientes tàm subitò à *Jesuitis*, *proselytas* fieri? Miramini quodvis novum *monstrum*, *Anabaptisticum*, *Pelagianum*, *Socinianum*, concinniùs à Modernis quibusdam levigatum, & cerussatum, apud *plurimos*, tàm inexpectatò in sinu foveri? *Catechumeni* procul dubio cum *Apollo* in *viâ Domini*, & *potentes* in Scripturis nunquàm penitus fuerunt. Nam quinam (quæso) est Reformatorum *Catechismus* paulò explicatior, qui *lappas* hujusmodi & *tribulos*, & *Lolia*, & consimilis sementis *Zizania* non indigitat statim, & averruncat? Et cur tàm turpitèr cespitant *provectiores* nonnulli in planitie, nisi quià *subtiles* passim haberi mallent, quàm *solidi*, & versatiores, in *Scholasticorum tricis*, quàm in *Catechismis domesticis*, & Beati *Pauli Epistolis*?

5. Vestrûm igitur est (optimæ spei *Adolescentes*) cum Catechumeno hoc nostro insigni. extra *cancellos* adhùc observantèr stare, & quasi per שירי המעלות *Cantica graduum*, à *Lacte* ad solidiorem *cibum*, ab *Artibus* ad Professionem, à *Catechismis* ad sublimiora *mysteria*, gradatim ascendere. Ecquid non animadvertitis hanc unicam fuisse apud *Antiquos*, initiandi, & *proficiendi* methodum? *Henoch* illi, quem primum cum Deo ambulâsse legimus à חנך *catechizare*, vel dedicare, nomen inditum fuisse observamus. חניכים fuerunt illi 318. *vernaculi Milites* ex familiâ Abrahami; hoc est, probè *instituti*, & *Catechizati*, qui ex quatuor Regibus *Orientalibus* reportabant spolia. Hinc Regum sapientissimus חנך לנער *Catechiza* (inquit) *puerum* juxta viam suam, & cum senuerit, non recedet ab eâ; Hoc est; *Paulatim*, *Paulatim*, ut ferre possit, exponente R. *David Kimchi* in libro *Radicum*, Dedica, inquit R. *Jonah*. Proverbium est (reddit Hieronymus) Adolescens juxta viam suam. Nec minùs significantèr Græci, ἐγκάινισον, ἡ ἐγκαινίσαι: sit à teneris semel unguiculis, *Deo dicatus*, & posteà proculdubio non cito erit *apostata*. Talis à gremio *Aviæ Loidos*, & matris *Eunicæ* prodiit *Timotheus*, cui Apostolus injunxit, posteà ut haberet ὑποτύπωσιν ἔχε ὑγιαινόντων λόγων, *expressam formam*, seu *Catechismum* sanorum sermonum, ut feliciùs, & confidentiùs in sublimioribus versaretur. Talis *Augustinus Catechumenus*, aliquot scripsit libros, priusquàm baptizaretur ab *Ambrosio*. *Catechumenus* tantùm erat *Ambrosius*, cùm postulante Ecclesiâ *Mediolanensi*, in *Episcopum* eligeretur. Et quot legimus *Catechumenos*, *Martyres* emersisse ab *Originis* Scholâ, apud *Eusebium*? *Origenis* verò libri quatuor περὶ ἀρχῶν: in quorum vestibulo *systema* quoddam, sivè corpus in *Theologicis* concinnandum esse tradit ex *Scripturis*, & ejus *consequentiis*. Pædagogia *Clementis Alexandrini*; *Ancoratus* *Epiphanii*, *Institutiones Lactantii*, definitiones *Basilii*, *Catecheses Cyrilli Hierosolymitani*, Doctrina *Augustini Christiana*, & *Enchiridion* ad *Laurentium* ut cæteros taceam, unà cum tot conciliorum *symbolis*; quid aliud nobis inculcant, quàm *Catechismos* illorum temporum *initiandis* solicitè adaptatos? à quorum simplicitate, & pietate, quo longiùs posteà recesserunt *Damascenus*, & *Lombardus* unà cum suis *Sententiariis*,

Genes. 14. 14.

Prov. 22. 6. *Vid. Pag. in* חנך

2. *Tim.* 1, 13.

Ecclesiastic. hist. l. 6. c. 4.

tiariis, & ſummiſtis, eò periculoſiùs abduxerunt ſuos *Scholaſticos* ab *iis*, quæ ſunt *Domini*. Obſervârunt hoc *Lutherus*, *Calvinus*, & alii Reformationis ἱερολοχῖται. Ideoq; ut illi per *Catechiſmos*, ſivè *dialogi* in more diſpoſitos, ſive *Theſibus*, aut *locis communibus* uberiùs explicatos; eripuerunt quamplurimos ab *Anti-Chriſti* faucibus: Ita *Pontificii* rursùs per *Catechiſmum Tridentinum*, *Bellarmini* (quem traduxit nuper *Gabriel Sionita* in Linguam *Arabicam*) *Caniſii*, & aliorum; per *Catechiſmos Cracovienſes*, *Racovienſes*, & *Remonſtrantium*. Spermologi, conantur non rectè initiatos, hodiè ineſcare. Videtis igitur (Selecti Adoleſcentes) quanti momenti ſit *Petra*, & *Lapis angularis* rectè *poſitus* in Profeſſionis cujuſlibet (præcipue Religionis) *fundamento*.

Ex falſis falſum, verumq; aliquando ſequatur;
Ex veris poſſunt nil, niſi vera ſequi.

Annon *Iſagoge Porphyrii*, vos manducit ad *Organon*? *Prolegomena* ad *diſquiſitiones* cujuſq; ſcientiæ exactiores? Aut in *ſyſtematibus* non conſpiciat *tyro*, quæ poſteà in *Polemicis* & *Commentariis* explicatiora inveniat? Et quid aliud (quæſo) ſunt *Compendia* iſta omnia, quæ paſſim hodiè *circumvolitant*? quid *Enchyridia*, *Synopſes*, *Ideæ*, *rudimenta*, *Elementa*, *inſtitutiones*, *aphoriſmi*, *theſes*, niſi totidem *Chatechiſmi* ad illam, quam appetimus, facultatem prævii? Iſta autem vobis ſine *ſumptu* & *ſudore* fiunt ἔκφορα, quæ *Majoribus* erant fere ἀνέφικτα: & obtruduntur quaſi in *manus*, quæ ipſis diu & operoſe *palpando*, vix datum erat attingere. Cum apertæ vobis ſint *Bibliothecæ*, diſpoſiti ad captum libri, affixæ *ſchedulæ* invitatoriæ, accincti *Præceptores* ad inſtituendum, *horâ* & *loco* conſuetis; ſi nihil hinc inde efflorescat, dignum tot *adminiculis*, aut talibus ad progrediendum *allíciis*; ſi *vinea* tàm uberi ſolo plantata, *ſepimento* tam commode munita, *turri* & *torculari* inſtructa, labruſcas tandem extruderet, & non expectatas Uvas; dicamus viam *Scoti*, aut *Thomæ* à *viâ* Domini vos abduxiſſe? Potiùs Initiatis, & Catechumenis defuit fervor in curriculo, qui egregio huic noſtro *Neophyto* alas addidit, & calcaria; ut ſequitur deinceps in *Textu* (ſecundo in loco) perpendendum.

6. Κὶ ζέων τῷ πνεύματι, & *Fervens Spiritu*.) *Spiritus Sanctus* Tarda neſcit molimina, ut notat *Ambroſius*. Zelus eſt *cos* actionis, & *fermentum* illius in Evangelio *Maſſæ*; quod præparat & condit illam ad *panificium*. *Tepidos* expuit *Ambulans* inter Candelabra Apoc. 3. corripit *tardos*, & *hebetes* diſcipulos; Math. 16. Inde illud Apoſtoli, τῇ σπουδῇ μὴ ὀκνηροὶ, τῷ πνεύματι ζέοντες, τῷ κυρίῳ δουλεύοντες: ut ſtudio minimè *pigri*, ſed ſpiritu *ferventes*, Domino inſerviamus. Meminerit ſiquidem quivis *fervens* ſpiritu, illud ſervatoris σπεῦσι ὀπίσω μου, Manè valdè diluculò, ut mature penſum aggrediatur. Meminerit ἀναζωπυρεῖν τὸ ἐν αὐτῷ χάρισμα, ut, quaſi admotis *follibus* ad progrediendum, ignem ſuſcitet induſtriæ; ut *Timotheo* ſito ſuadet Apoſtolorum omnium *laborioſiſſimus*. Quodcunq; facere poteſt *manus tua*, *Inſtantèr* operare (clamat *Eccleſiaſtes* cap. 9. 10. עשה בכחך quia nec opus, nec *ratio*, nec *ſapientia*, nec *ſcientia* apud Inferos quò tu properas. Exæſtuat quaſi *ebulliens olla*, ut liquor ipſius defundatur; Capite ſtat *erecto* inter Cæli *fragores*, nec ad terræ *motus* conſternatus trepidat; in *adverſis* fidit, in *ſecundis* non effertur; geſtit ut excitatus *Gigas* ad curriculum ſuum conficiendum, abſorbet difficultates, triumphat inter inſidias;

Illum
Non Civium ardor prava jubentium,
Non vultus inſtantis tyranni,
Mente quatit ſolidâ, neq; Auſter,
Dux inquietæ turbidus Adriæ,
Non fulminantis magna Jovis manus,
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

Tali inflammatus ſpiritus *fervore Moſes*, omnium *mitiſſimus* præcepit *Levitis*, ut unuſquiſq; fratrem, & *propinquum occideret*, qui vitulum pro Deo adorâſſent. *Phineas* lanceâ transfixit *Zimri*, & *Cosbi*, oblitus quaſi muneris *Sacerdotalis*; non oportet *Epiſcopum eſſe percuſſorem*. David puer aggreditur ſtupendæ vaſtitatis *gigantem*, & proprio decollat gladio. Et quales fuerunt iſti *Heroici* ardoris impetus, *Exire* qui evulſit *capillum*, & *barbam* propriam, ad compertas ſuorum prævaricationes? *Exr.*

9. 3.

Apoc. 3.

Rom. 12.
Marc. 1. 35.

2. Tim. 1. 6.

Exod. 32.

9.3. *Nehemiæ*, cujus hæc eſt intrepida ad objectos terrores μεγαλοψυχία, Num *quiſquam mei ſimilis fugiet?* vel quiſquam, ut *ego*, ingrediatur *Templum* ut vivat? Non *ingrediar*: Nehem.6.11. Cui æmula fuit iſta *Mattathiæ* magnanimitas. Etiamſi omnes *gentes* â patriâ *Religione* defecerint; *ego* tamen & *filii* mei, *fratreſq;* in *Fœdere* Patrum noſtrorum incedemus. Nec proteſtationi defuit *executio*; ad conſpectum enim *ſacrificii* Idololatrici, Contremuerunt *renes*, irruit in *Judæum Apoſtatam* & ſuper *Aram* ipſam interficit. 1.*Maccab.*2. Nil addo de *Servatoris* Scuticâ, & *Pauli* virgâ. Regredior ad noſtrum *Apollos*; Cui nil profectò profuiſſet, *Potentem* fuiſſe in *Scripturis*; peragrâſſe *Regiones* & *urbes*, ut aliquid ulteriùs diſceret; initiatum fuiſſe in *viâ Domini*, quousq; vetus Teſtamentum potuiſſet illum perducere; niſi ad *Sublimiora* imbibenda *Fervens* fuiſſet *Spiritu*; *Spiritus* niſi ipſum extimulaſſet, ad perſcrutandum ulteriùs quod ignorabat, & ſolicitè prædicandum, quod didiciſſet; vel retroſpiciendo cum *Lothi uxore*, manſiſſet *Salis ſtatua*; vel cum *ſtultis virginibus* dormiendo, & moras trahendo, caruiſſet *Sponſi* comitatu. Nil conferunt ad *Tabernaculi fabricam*, qui tali *zelo* non elevantur. Exod.35. Corripi debet *Johannes* tali ſpiritu, priuſquàm *Apocalypſeis*, aut *Revelationes* aliquas videat, aut conſcribat; *Apocalyp.* 1. Interea fervor iſte *Ardens* in ſe, *Lucens* aliis, ita ad *Spiritus* agitantis moderamen affectus temperat, ut nec funeſtè excitent *incendia*, nec ſtupida flacceſcant *gravedine*; ſed perverſa ſatagunt corrigere, laxata *reſtituere*, ſuperflua prudentèr *amputare*, defectus *ſupplere*, jacentia *erigere*, & intermortua demum *animare*. Sic purgatus noſter *zelotes* & defæcatus ventilantis Spiritus *emunctorio*, non alium ſibi præfigit *ſcopum*, quàm *Dei gloriam*, & *Eccleſiæ*, *Proximi*, & ſui ipſius *ſalutem*. Non adoritur temerè cujuſq; *famam*, aut *infamiam*, abſq; cognitione diſtinctâ, & vocatione à *ſuperioribus legitimâ*, ut non tacet, ubi *opportunè* ſit loquendum, ità non *vociferatur*, ubi conſultiùs eſt ſilendum. Vrget *Textum*, & rerum momenta, non *Anabaptiſticos* jactat *Enthyſiaſmos*, aut *Schiſmaticos* raptus, aut *Puritanicos*. Sub *Devotionis* & *Zeli* prætextu, non egerit *proprii* livoris acrimoniam. Sed id agit ſedulò, & circumſpectè, ut *irretiat* potiùs, quàm *irritet* ſuperiores Evangelii *ſagenâ*; flectat potiùs, quàm frangat *Inferiores*, vel *pares*. *Judæi* Zelotæ ſunt, ſed non ſecundum ſcientiam: *Phariſæorum* Zelus *Servatorem* egit in patibulum, ut *pontificum*, & *ſacrificulorum* holocauſta innumera dederunt inter nos vivicomburia. Et quis ſcit quo periculo tandèm conflagrent *ſulphurei* inter nos nonnulli *Schiſmaticorum Spiritus*, niſi frigidum indies & maturè à Prælatis & Magiſtratibus cordatioribus ſuffundatur?

7. Quo punctiùs & ferventiùs *monendi*, & *muniendi* eſtis *vos* à me (*dilecti Juvenes*) ne à *ſiniſtrâ*, vice *alacritatis*, *Zeli*, & *induſtriæ*, *Neglectus*, *torporis*, aut *acidiæ* ſpiritus vos corripiat; vel à *dextrâ*, ſub prætextu *devoti* fervoris, ſpiritus vertiginis, & *inanis* gloriæ, ſpiritus *luxuriæ*, & prurientis *ambitionis*, ſpiritus *factionis*, & recalcitrantis
Mat. 12. 44. *contumaciæ* inſinuent ſe in mentes veſtras σχολάζοντας, verſas, & ornatas, & ſic *ultima* veſtra conditio ſit *priori* deterior. Fervor iſte *Majorum Apolloneus* in primo *Reformationis* impetu, quot reliquit nobis indignis, efferveſcentia excitati ſpiritus monumenta? Bibliothecæ vix capiunt illorum *volumina*. Horreſcit noſter *languor*, ad conſpectum tantæ *ſedulitatis*, & conſtantiæ. At quo jam nos *degeneres* ipſorum *poſteri* ſuccenturiati tandem devenimus? quâ fide tandèm inſiſtimus *ipſorum* veſtigiis? Splendent *ſcholæ*, ſed frigeſcunt intùs *diſputationes*; tacent plerunq; *Actores*, dum *Auditores* inter ſe rixantur, & conturbant omnia. Παροξύνετο τὸ πνεῦμα, quaſi in paroxiſmum incidit *Pauli* ſpiritus, ad laſcivientem *Athenienſium* ſuperſtitionem; At quomodò hodiè vel ingemiſceret, vel indignaretur, ad noſtrârum *Athenarum* petulantiam? ubi nec *vitia* noſtra ferre poſſumus, nec *remedia*. Quodq; periculoſius videtur, אין־מנחל vix eſt, qui ſuſtentet *Matrem* ex omnibus filiis, quos
Iſai.51.18. *genuit*; ex omnibus filiis, quos *enutrivit*, vix eſt, qui apprehendat *manum*, ut liberet ab opprobriis, qualem Hieroſolymitarum conditionem deploravit olim *Iſaias* cui ſuccinit *Jeremias*. *Avis diſcolor facta* eſt *hereditas* Domini, & annon *Aves* reliquæ circumſtant, & dicunt, *venite*, *congregate* omnes beſtias agri, venite ad devorandam eam? Quòd ſi cujuſpiam fervor hic præcurrat cæteros, ad maculas tàm difformes eludendas, tantùm abeſt ut aſſequatur quod molitur, ut ſedentibus in
Cap. 12. 18. portâ erit *thema*, & Bibentibus *Siceram*, nova cantiuncula. Excuſent ſe *aliæ Nationes* & *Eccleſiæ*; Iſtæ, quòd Evangelium ſit Liber illis *obſignatus*, obtrudatur fides
Pſ. 69. שכר *implicita*, ut ſaltandum ſit neceſſariò, ad incertiſſimam *choragorum* fiſtulam; Hæ,

quòd

quòd *ingemiſcant*, & *fatiſcant* ſub cruce, nec inter *Martis ſtrages*, tutum eſſe *Muſis* vacare; quinimò deeſſe *pabulum*, quo Spiritus fervor intendatur, & alatur; dum nos interea ἀπραξίαν prorſus relinquimur. In *manus*, in *amplexus*, in *oculos* ingeruntur omnia. Vis libros? patent. Vis præceptores? audias. Solicitus es de *victu*, & *amictu*? de *Lectulo*, *Menſâ*, *Sellâ*, *Candelabro*, & conſimilibus ad conditionem neceſſariis? quot æternæ Memoriæ *Shunamitæ*, & nunquam ſatis laudati *Centuriones*, ſub faventiſſimarum *Principum* patrocinio, abundè de hiſce omnibus nobis proſpexerunt? Sic ut noſtri *lapſus*, videantur *præcipitia*; *Nævi*, ulcera; *nugæ*, inſaniæ; non ab *emulis* tantùm, ſed ab *Amiciſſimis* perſtringendæ, cum expectato è nobis proventu, *Eccleſiam*, & *Rempub.* fruſtratos eſſe ſentiant. Quo *libratiùs* à nobis eſt incedendum (*Auditores*) nè Spiritus deſit *fervor*, qui *Inſtructos* deceat; nec exæſtuet interim extra cancellos *laboratorii*, ut circumſtantes potiùs terreat & torreat, quam nativo calore refocillet. Artem *Notoriam*, & *Paulinam* ad *Solomonis*, & B. *Pauli* ſapientiam, per *Enſalmos*, & *exorciſmos* (neſcio quos) acquirendam, proponunt *Agrippa*, & *Torreblanco*; Artem *Characteriſticam*, ut omnes *Nationes* per communes *Characteres*, ſe invicèm intelligerent, venditat *Hermannus Hugo Jeſuita*; Quin & *Artem* iam tandèm *volandi*, nuperrimè exhibuit alter *Hermannus Floyderus Poeta*, & Bibliothecarius *Tubingenſis*; At iſta omnia nobis proſtant certiori ad faſtigium aſcenſu. Non opus eſt ut *Beelzebub* Deum *Ekron* conſulamus; *Prophetæ*, & *Medici* ſat multi ſunt (per Dei miſericordiam) in noſtro *Iſraele*. Nec neceſſarii ſunt *Jeſuitici characteres*, ad linguas ediſcendas, cum *Profeſſores* per media explorata, ſat citò, & ſeduld hoc præſtabunt. Neq; *Ars volandi* illis erit uſui, qui *pedibus* ſtatuerunt ire in tutiorem ſententiam. Iſta autèm cum adeò ſint propoſita, adeò explicata, adeò Majorum paſſibus trita, & complanata ad ſcopum illum, qui præfigitur, aſſequendum.

Quis furor, ô Socij, captam dimittere Trojam?

O Inſenſati *Galatæ!* quis torpor, ſtupor, aut amentia nos effaſcinavit, quo minùs veritati tàm ſeriò, tàm crebrò, tàm diſtinctè nobis inculcatæ colla & pectora ſubdamus?

Cumq. ſuperba foret Babylon ſpolianda trophæis;

Detrahenda *larva* purpuratæ *Meretrici*, præcîdendi *articuli*, & manus illorum, qui illi occultò & poſtliminio ferant ſuppetias.

Bella geri placuit nullos habitura Triumphos?

Catechumeni potiùs, ex Sancti Spiritus *fervore* ſequamur noſtrum Apollo; *Loquendo* & *docendo* diligentèr ea quæ ſunt *Domini*: Quod κατ᾽ ἐξοχὴν, deinceps ſequitur *tertio* in loco explicandum.

8. Ἐλάλει, καὶ ἐδίδασκεν ἀκριβῶς τὰ περὶ τοῦ κυρίου: *Loquebatur*, & *docebat diligentèr ea, quæ ſunt Domini*. Qui abſcondit *ignem* in ſinu, diù illud celare non poteſt. *Spiritus* quoviſmodo *incluſus* quærit exitum; Cum deſcendiſſet ſuper *Apoſtolos* in diſpertitis *linguis*, cæperunt ſtatim loqui, prout *Spiritus* ille dabat effari. Nec citiùs *cor Davidis* eructat verbum bonum, quam lingua fiet *calamus* velocitèr ſcribentis. Fervens igitur Spiritu noſter *Apollos*, non tergiverſatur, aut tacet, ſed *loquitur*, nec *loquitur* tantùm *perturbatè*, aut *affectatè* ad *Nauſeam*, aut *pruritum* audientium, ſed *docet*; Non *perfunctoriè*, aut *obitèr*, nè nihil omninò agerit, ſed ἀκριβῶς *diligentèr*, *accuratè*, *accommodatè*, ut hærerent, quæ inculcabat. Iſta autèm non *parerga* erant, aut *Miſcellanea* fortè incidentia, ſed *ſelecta*; nec quævis *talia*, ſed *appoſita* loco & tempori, & Auditoribus, Quæ *erant Domini*. Multi hodiè inſigniuntur *paludamento Academico*, fortaſsè etiàm & *Graduum* non obſcurioribus titulis, qui neſcio quo ferventes *Spiritu* in angulis licentèr crepant, ſuſurrant, detrahunt, calumniantur; ſed ubi, & quandò oportet, *muti* ſunt, ut *piſces*, non loquuntur. Haud *pauciores* fortaſsè *Spiritu* nimiùm *turgiduli* loquuntur fere ad *Ravim*; ſed non *docent*. Docent alij, dùm loquuntur, idq; ſatis *doctè*, & *circumſpectè*, ſed non tàm *crebrò* & *diligentèr*, quàm fieri oportet. *Diligentiam* in cæteris non deſideres, ſed *loquuntur*, & *docent* tam ſuperſtitioſe âccurati, ut vix *ſyllaba* tranſeat, ad ſententiæ *modulamen* non expenſa. Iſta tamen omnia vel *famam*, vel *lucrum*, vel *applauſum* potiùs reſpiciunt, quàm ea *quæ ſunt Domini*, ut fidem in eum ſtabiliant, & *Cultum* ejus promoveant. Uidetiſnè quàm *multa*, quàm *pretioſa*, paucis hic compreſſit Spiritus? De *ſilentio* in ſatis inſtructis, non ferendo; de *eloquio* profuſo, & confuſo, quod neminem inſtituat; de Inſtitutione *frigidâ*, *enectâ*, *intermiſſâ*

Prov. 6. 27. Act. 2. 2. Pſal. 45.

absq; Diligentiæ *sale*, *sulphure*, vel *Mercurio*; de *heterogeneis*, *parergis*, & magis quæ abducunt nos ab ijs, quæ *sunt Domini*; quam copiosa mihi suppetit loquendi, & docendi seges, si vel *tempus* ferret, vel *instantia*, quæ vos avocant, exercitia? Nolite autèm existimare Mutos *Canes*, cæcos *duces*, segnes *Pastores*, somnolentos *vigiles*, Ministros tantùm & Theologos, qui greges parùm respiciunt, solummodò designare; Descendant *unguenta* hujusmodi ab *Aaronis barbâ*, ad vestimenti *oras*, & Artium vestrarum *fimbrias*. Nulli, nulli (inquam vobis Baccalaurei) erit *impunè* Talentum quodcunq; suæ fidei concreditum, terrâ obruisse; Nulli non *piaculum*, lucernam in *Candelabro* ad usum erigendum, sub Modio nequitèr occultâsse. Non sufficit ergò vobis privatim legere, scribere, meditari, nisi quoties tulerit occasio, *loquamini* etiàm *publicè*, & pro vestro modulo, quod didicistis, doceatis. Loquere, ut te videam, dixit celebris ille Philosophorum *Princeps*: Et disputes *tu*, vel in *Scholis* doceas, quos intra privatos parietes, progressus feceris. Num colligunt ê *spinis uvas*, aut *ficus* ê *tribulis*? Aut sperandum est ut is *Magister* promptus evadat, & *eloquens*, qui ex inferiori *Baccalaureorum* scamno, nunquam conatus est mutire? Cur hæsitant nonnunquàm *provectiores* ad Elenchi strophàm, vel difficulter *exprimunt* ea, quæ sub nocte *concipiunt*, nisi quia in *Parvis* vestris (quæ reverâ manuducunt ad *Majora*) rarò aut nunquam sunt loquuti? Ut enim habitus non acquiritur, sic diu non conservatur, absq; continuatæ Actionis exercitio; Quàm siquis *minùs* duxerit, & *ampliora* nihilominùs sibi ipsi pollicetur, eâdem operâ messem absq; *sulcis*, & semento expectet. Intereà aliud est λαλεῖν, ociose *garrire*, & nugari, aliud λαλεῖν simùl & λόγον, opportunè prout negotij momentum, & conditio loquentis postulat. Non loquebatur igitur solummodò noster *Apollos*, sed sic loquebatur, ut *doceret*. Sermoni proculdubiò accessit *puritas*, *perspicuitas*, *Methodus*, & â Spiritu incalescente alacris quidam *fervor*, Non aut *titubantèr* aut *utrumnose* grunniebat, cum Magistris posteà *nostrandis*, aut nostris *Magistrandis*; ut ità sordesceret, & vilesceret apud *Auditores* oratio; Nec tàm argutè, aut dilutè perorabat, ut vix quispiam intelligeret, vel colligeret, quid sibi voluerit; sed ita loquebatur, ut *doceret*; ita *docuit*, ut non doctrina tantùm, sed etiam diligentia ipsius probaretur; ita diligentiam hanc cohibuit intra proprij pensi *cancellos*, ut ad τὰ περὶ τοῦ κυρίου, ad *ea quæ erant Domini* solummodò excurrebat. Syrus, & vulgaris legunt; Ea quæ sunt *Jesu*, sive de *Jescua*; quod rectè exprimit, quid per τὰ περὶ τοῦ κυρίου sit intelligendum. Jesum hunc apud *Ægyptios* non invenerat *Apollos*; *Ægyptum* igitur relinquit, ut in *Judæâ* apud *Johannem* quæreret, *Johannis Baptisma* non satisfecit; periculosis igitur itineribus, nec fine sumptu proculdubiò & sudore, contendit *Ephesum*; *Ephesi* verò non tacet, sed *loquitur*, *docet*, *disputat*, non in *privatis* tantùm *congressibus*, sed in *Synagogis* publicis; ut amplecteretur tandem illum, quem deperiebat ipsius animâ, & alios incenderet ad ejusdem dilecti scrutinium. Inconsulte *Apollo*, quò properas? Cur tua *negligis*, & dissipas, dum tanto cum discrimine anhelas ad ea *quæ sunt Domini*? *Parentes* forsan & *Amici*, domi te desiderant; forsitan & *dignitates* sive *Ecclesiasticæ*, siv *Politicæ* tam excelsum & promptum manent ingenium: si *assequaris* tandèm, quod tam sitientèr expetis, quid lucrabere præter *afflictam paupertate*, *opprobrijs*, & *persecutionibus*, conditionem? Sed intrepidus agitat nostrum *Zelotam* B. *Pauli Spiritus*; Nullius rei rationem habet, nec vita ipsi chara est, modò cursum suum consummet
Act. 20, 24. cum gaudio, *Jesum* in corde, *Jesum* in ore, *Jesum* in *omni studio*, & conatu ferebat, Spirabat, cogitabat, loquebatur, premebat *ea*, & ea *tantùm*, vel *præcipuè*, quæ hujus erant Domini.

Te *dulcem Dominum*, Te *fervens Littore toto*,
Te *veniente die*, Te, *discedente*, *docebat*.

9. Si verba *Sapientum* sint tanquàm *stimuli* ad incitandum, & tanquam *clavi* ad
Cap. 12. 11. figendum (in tenerioribus præsertim) ea quæ *sunt Domini*; (ut monet *Ecclesiastes* sapientissimus in *Concionis* suæ *Epilogo*; Quid de factis talium æstimemus, qui non suadent tantùm ut *faciamus*, sed faciunt ut *sequamur*? Nota sunt illa heroica laudandæ æmulationis *suspiria*, *Themistoclis* ad *Miltiadis* trophæa; *somnum* capere non potuit, priusquàm & ipse tale aliquid in *patriæ* commodum præstitisset; *Alexandri Magni* ad *Achillis* tumulum; *Cæsaris* ad *Alexandri* gesta. Quin per *Ideas* quasdam *fictitias*, sivè *Personarum*, siuè *Rerumpub*, id agebant *Veteres*, ut ad intuitum typi præcellentis (veluti *Jacobi* oves ad *decorticatas* virgas) Mens *generosa* parturiret. Nàm ità de *Homero Horatius*;

fabula

Fabula, quâ Paridis propter narratur amorem,
Græcia Barbariæ lento collisa duello,
Stultorum Regum, & Populorum continet æstus. In Iliade.
Rursus, quid virtus, & quid Sapientia possit,
Utile proposuit nobis exemplar Ulysses. In Odysseis.

Sic libros *Tobiæ, Judith, Susannæ* Apocryphos, compositos (putant nonnulli) potius ad imagines *Pietatis, Magnanimitatis* & *Castitatis*, per modum *dramatis* delineandas, quam ad *fidem historiæ*. At hic non intrat *Theatrum* conficta aliqua, aut ad conceptum aliquem *Poeticum effigiata Persona*; sed notæ *Nationis, Patriæ Institutionis Catechumenus*: Quem non intercipiunt obiter suspectiores *Historiæ*, sed *Canonizavit* quasi in exemplar, *spiritus* errare nescius; ut *Lucerna* esset insequentium pedibus, & *lumen* semitis. Vobis autem (*Baccalaurei*) quàm tutum esset, quam salutare, quam laudandum, â tam illustri *face* non discedere. Hic tempestivum erit illud *Elisbæ* de Domino suo *Eliâ*; *Vivit Dominus*, & vivit *anima tua*, non *derelinquam te*. 2. Reg. 2. 2. Concluditis sæpius vos in disputationibus vestris; *Inclusum calorem* ab obsidente *frigore*, vires intentiùs *colligere*, & per *Antiperistasin* quandam irritantem, violentiùs exæstuare, & irrumpere; Atqui si insideat vobis iste *Fervor spiritus*, qui *Catechumenos* animaret in vestrâ *classe*, tanto vehementiùs incalesceret, & *flammas* conciperet, quanto *acriùs*, & *acerbiùs* ab æmulis hoc tempore obsidetur. Quis ignorat, quam *venenata* sint pæne omnium in *Academias* ora? Deblatarant pristinam nostram *Disciplinam* spongiâ incubuisse penitùs; *Seniores* flaccescere, evagari, genio indulgere, & ad simultates, sycophantias, calumnias, studio partium, non *Artium*, abripi; *Juniores* verò pergræcari, otiari, tabernas aut lustra putidiora frequentare; & quod vos præcipue attingit (*Baccalaurei*) in plateis, & compitis *rutubas*, & clamores excitare; in *Scholis* screatus (nescio quos) Arcadicos â Majoribus nostris nunquam (sicuti mihi persuadeo) auditos, turpiter eructare, sibilare, manibus & pedibus tam impudenter permiscere omnia, donec â pugnis tandem perveniatur, ad non *excusandum perjurium*. Hoccine autem est loqui, aut *docere*, vel *cogitare* saltem ad punctum temporis, cum Apollo nostro *Ea quæ sunt Domini*, vel quæ suggerit *Ethnica Philosophia*? Hoccine est *Musis* litare, *primitias* susceptæ gradus Deo consecrare, expectatos progressus facere ad Majorum celebritatem? Pro hisce respondebit vester *Aristoteles* hâc proximâ *Quadragesimâ*, qui *Perturbationum Mancipia* excludit ab Ethices suæ *Auditorio*, *Incontinentes* eodem loco habet cum *Ebriis*, & *Milesios* perstringit ex *Demodoco*; quia cum ipsi *stulti* non erant, ea tamen, quæ stulti faciunt, faciebant. Concessa est *tibi* potestas ex almæ *Matris* indulgentiâ, *intrandi Scholas*, *Legendi*, *disputandi*, & reliqua *perficiendi* omnia quæ ad Gradum spectant in *Artibus* Baccalaurei; quare igitur non *legis*? quare non *disputas*? Imò quare nonnunquam tergiversaris, prævaricaris, ut suggestum tuum contra *Physicam*, *Academicam*, & *Politicam*, aliquoties admittat *vacuum*? Ignoscite liberiùs agenti (*Candidati Adolescentes*) Non ista sunt *bilis* splendidæ, sed sinceræ *Charitatis*, & *Paterni* erga vos *affectus*, aculei & dictamina. Non mihi fortasse deessent, si studiosè conquirerem, *popismi*, & *pulvinaria*, quæ *cubitis* vestris assuerem; Cum *adulari*, *demulcere*, plausus *aucupari*, suppeditet facile hujus *ævi* genius. Atqui Ζηλοῦσιν ὑμᾶς οὐ καλῶς, Affectant vos non *benè*, (ut *Galatas* suos monet *Apostolus*) qui prædicant potiùs quæ *placeant*, quam *ea quæ sunt Domini*. Estote igitur quasi *Ego*; Nam & *ego* sum sicut *vos*. *Fratres*, deprecor vos, Nullâ enim in re me affecistis injuriâ; *Num inimicus igitur ero vobis*, *quia vera vobis loquor*? quia nolo vos esse tam *amentes*, & *insensatos*, ut, cùm *Spiritu* inceperitis, *Carne perficeremini*? Qui spernit, ut nôstis, *Modica*, *paulatim deficit*; (observante Ecclesiastico) Et paululum *fermenti* totam massam corrumpit; (repetente post Servatorem *Gentium Doctore*. Ne mussitetis igitur cum *Pigro*; *Leo est in viâ*; *Læna* est in *Itineribus*, nec cum nepote isto apud commædum, *Patres* æquum esse censent nos jam â *Pueris* illicò nasci *Senes*, neq; illarum *affines* esse rerum, quas fert *Adolescentia*. Nec *tacitè* obloquimini vobiscum, *Durus est hic sermo*, ultra *captum* nostrum, & *conditionem*; Nec expectanda esse â *quasi-modo-genitis* tam *severæ disciplinæ* specimina. Reducite potiùs *obtusus* vestros ad præfixam *Catechumeni nostri* ἐνθουσιασμόν, qui sic *Spiritu fervebat*, sic loquebatur, sic docebat, sic *ea*, *quæ erant Domini*, ἀκριβῶς, diligenter, instanter, & ad vivum urgebat, ἐπιστάμενος μόνον τὸ βάπτισμα Ἰωάννου: *Sciens tantùm Baptisma Johannis*; quod indicat

Galat. 4. 17.

Galat. 4. 12. 16.

Eccles. 19. 1.

Prov. 26. 13.

Iohan. 6.

Tenuem ipsius apparatum, ad coronidem imponendum.

10. *Syrus* ad eundem sensum; quum nil sciret nisi *Baptismat Juchanan*. Videtur hoc adjectum ad suspicionem, (quæ incidere potuit) eximendam. Nam quâ ratione fieri potuit, ut *Catechumenus tantùm in viâ Domini* tàm fidenter ea, quæ *erant Domini*, loqueretur, & doceret? Nùm *Miraculo* evasit talis, aut raptu *Enthysiastico*? Quinimò peritia in *Scripturis* arguit ipsum *veteranum* fuisse potiùs, quàm *tyronem* in in iis, quæ *erant Domini*. Nec verisimile est voluisse hominem *ingenuum*, & liberaliter educatum, fidenter ea *loqui*, & *docere*, quæ nunquam didicisset. Didicisse quidem agnoscit *Textus*; sed didicisse tantùm ex *Hagogico Iohannis Baptismate*, non ex pleniore *Evangelistarum præconio*. *Ephesi* tunc temporis versabantur *Aquila*, & *Priscilla*; *Aquila*, & *Priscilla*, Nobile illud *Conjugum Par*, qui *conjunctim* ferè in *Canone*, quotiès occurunt, nominantur. Illi (inquam) *Aquila*, & *Priscilla*, *Pauli discipuli*, *comites*, & in conficiendis *Tabernaculis* ὁμοτέχνοι, cum observassent hujus *Judæi Ægyptiáci* excitatum *ingenium*, expeditam *linguam*, religiosum *fervorem*, nec institutionem aliquo modo *aversam*; utcunq; non satis *maturam* in *iis* quæ *erant Domini*; quid faciunt *obscuriores* isti *Scanapegæ*? Nùm æmulantur? Nùm supplantant? Nùm aliquid ipsorum *existimationi* aut *lucro* ex hujus novi *hospitio* excellentiâ detractum arbitrabantur? Nihil profectò minus: sed ambiunt potiùs tanti viri *consortium*, *Hospitium*, *familiaritatem*; Et tandèm, (ut habet Textus) προσλαμβάνονται αὐτὸν, assumpserunt eum sibi ipsis, & penitùs exposuerunt *viam Domini*. En vobis *Columbas Christianas* mutuò sese osculantes, & pascentes, sine felle, fraude, aut fastidio! verè conveniat hinc *Nathanaelis* elogium; *Hic erat Israelita, in quo non fuit dolus*. Nàm quem posteà accipimus inter *Corinthios*, dominantem in *Concionibus*, imò *Cephæ* & *Paulo* tantùm non *palmam* præripientem; ad *pedes* cujusdam *Mechanici*, & *uxoris* sedentem, hic conspicimus, Audientem, Consulentem, Observantem. Non dedignatur tam *sublime ingenium*, à quovis, quod ignorabat, discere! Vix eosq; se dimitteret *noster tumor*; præceptores nos vix ferimus quàm *doctissimos*; pudet per *pares*, aut *juniores* sapere. Dici vix potest quanto *impedimento* sit ad *summa* contendentibus, hæc intempestiva animi elatio. Qui enim *humiles* evehit, *superbientibus* plerunq; detrahit dona, quæ contulerat; nec implet bonis *nauseantes*, sed *famelicos*. Baptisma *Johannis* tantùm huic nostro *Catechumeno* de adventu *Messiæ* præbuisset gustum; gustus hic facit ad stomachum; flagrat extemplò appetitus; nil pensi igitur habet, à quibus discat, modò voti fieret compos, per legitima media.

11. De *Baptismo Johannis*, an idem sit cum *Baptismo* posteà à *Servatore* præcepto; & ab *Apostolis*, posteris traducto; vel *diversum*, Altercantur *Pontificii*; nostris prorsùs *reclamantibus*. Anathemate feriunt illi in *Concilio Tridentino* quemvis, qui eundem esse *Christi*, & *Johannis* Baptisma asserverit. Decretum hoc propugnat *Bellarminus*, & cæteri ejusdem *Institutionis*; Eum (ut videtur) in finem, non quod tanti sit *momenti* ad salutem, sive *eundem*, vel *diversum* dixeris; sed vel ut *opus* Sacramentorum *Operatum* indè aliquo modo statuminetur; vel ut *gratiæ interna* minùs attendatur efficacia, & externa pompa, & solennitas præcipue conciliaret reverentiam; vel ad Scholarum receptum *dogma* utcunq; suffulciendum, nè videantur in aliquibus errâsse *Magistri nostri*, quò suspectiores esse possint in cæteris. Quibus *omnibus* satisfecto mihi opposuisse *Hallensis* nostratis de hâc lite *adversus suos* censuram. Ità manifesto (inquit) contradicere *Magistro* sententiarum, & ità *subterfugere* verba *Hieronymi*, & ea, quæ satis *evidenter* insinuantur in Sacrâ Scripturâ (*Actorum* 8.) *videri inconveniens*. Inconveniens tibi fortasse videtur (ô *Hallensis*) & paucis tui similibus; sed non *Tridentinis*, & *Jesuitis*, Novis scholæ *tintinnabulis*; qui *Anathemate* notarent una cum tuo *Magistro*, & *Hieronimo*, si tale aliquid hodiè inter illos spirares. Nostri se solantur, quòd eodem *Baptismo* se noverunt esse *consignatos*; quem servator à *Johanne* administratum *primitùs* consecravit. Convenit autèm hic cum *Baptismo Apostolis tradito*, in *Efficiente*, Deo; *Materiâ*, aqua; *formâ*, immersione; *fine*, peccatorum remissione; adeoq; *totâ* substantiâ: discrimen tantum observatur in aliquibus *circumstantiis*. Sed hoc litigium non est hujus loci; nec eo ducit textus, in quo Baptisma *Johannis*, non ingerit Baptismi *sacramentum*, sed per Metonymiam quandam *Synechdochicam* (ut rectè notat *Piscator*) de *Baptismo doctrinam*. Hoc est tenebat tantùm *doctrinam* de Christo, quam *Johannes* præcursor tradiderat, & Baptismate obsignaverat suis discipulis; sicut exponunt, una cum *Nostris*, non pauci

Act. 18. 24

Joh. 1. 48.

Luc. 1. 53.

Vid. Gerardum Vossium de Baptismo Johannis pag. 39.

De Baptismo cap. 20.

ex

exipſis *Adverſariis*. Concinunt iſta cum *Antecedentibus*, de *Initiatione* tantùm in *viâ Domini*; & cum ſequentibus, de penitiore inſtitutione per *Aquilam* & *Priſcillam*. E quibus inſtituto præſenti illud quadrat præcipuè, quam *egregium* ſit, et *auſpicatum*, â *lacte* ad cibum *ſolidorem*, ab Elementis ad ſublimiora, â *Catechiſmo* ad juſtos *Commentarios*, â *Baccalaureatu* (ut ita dicam) ad Magiſterium ſive in *Artibus*, ſive in ſuperioribus *Facultatibus* improbo quodam labore, ſed piâ et *fervente* aſſiduitate, ſecundum *viam Domini*, aſſurgere.

12. Hæc eſt cælitùs delapſa *Methodus*, quæ non omnia *mixtim* infundit, ſed *gradatim* quaſi, et *guttatim* ea, quæ ſunt perſonæ, loco, et tempori præcipuè conſentanea. Ut, ſicut in ætatis, ſic in inſtitutionis curriculo, Infantia, Pueritia, Adoleſcentia, et quæ hæc excipiunt *provectiora*, ſuis intervallis, et deſtinatis penſis diſtinguantur, et diſcriminentur: Sic *Pater*, ſe aperit et *Filium* una cum *Spiritu ſancto* in *Creatione*; *Filius*, *Patrem*, et *Spiritum* in *Incarnatione*; *Spiritus Sanctus Patrem*, et *Filium* in *Inſpiratione*; ſed ita tamen ut *Patris* per totum vetus *Teſtamentum*, *Filii* per *Evangelia*, *Spiritus ſancti* in *Actis* Apoſtolorum, et *annexis*, plenior et quaſi per gradus ingeratur cognitio. Et annon eadem eluceſcit *Methodus* in Prophetiis de *Filio*? Primo latet in *ſemine* Mulieris, *& Abrahami* femore; poſtea *radicem* agit in *Jeſſe*, Inde egerminat in *virgam*; tum in *jurculum*; tandem in *Zemach* florem, et *fructum* emittit. *Moſes* obvelat illum ſub *Agno*, et *Umbrarum* typis; *Johannes digito* demonſtrat, et ad *viſibilem* ſpiritus deſcenſum in *Jordane* baptizat. Nec aliter è Cæleſti Templo diſpenſantur Donorum, et Scientiarum *Latices*: *Primò* humectant tantùm *plantas*, et *pedes*, et attingunt *tales*; deinceps ad *genua*; poſtea *renes* abluunt; et tandem in *torrentem* non *tranatandum* intumeſcunt. Haud diſſimili Divinæ, diſpoſitionis ſcalâ pervenit noſter *Apollo* ad tantæ celeritatis apicem. Legit, ut potens evaderet in *Scripturis*; *Catechumenos* fit, ut intelligeret, quæ legiſſet: *Fervet* ſpiritu, ut efferret ea, quæ intellexerat; *Loquebatur*, et docebat, ut utiliter inculcaret aliis quæ ſtudiose *efferebat*. Inde, per *Johannis Ijagogen*, auſpicatò tandem pervenit ad plenioris cognitionis *Organon*. Hinc διακατηλέγχετο, redarguebat adverſarios ex *propriis principiis*: Non clamoſe, et moleſte cavillando, ſed more *Dialecticorum* nerveſe diſputando, et ſolide, idq; non tepide aut oſcitanter; ſed ζέων τῷ, ſummâ animi cum *contentione*; non in *angulis*, ſed publice in *Synagogis*; non ἀμαθίαν tantùm manifeſtans, ſed *peritiam*; quâ non σοφιστικῶς ſolùm ut *Philoſophi*; ſed ἐπιστημονικῶς, ut *Theologi* ex *revelatis* Scripturæ *principiis* evincit, Jeſum eſſe illum *Chriſtum* â Judeis, et *Gentibus* expectatum; ut delucide conſtat ex hujus capitis verſu ultimo. Ulteriùs autem aliquid quid adjicerem? Præfixæ ſunt iſtæ *vobis*, Mercuriales ſtatuæ (Optimæ ſpei *Adoleſcentes*) ut felici, quo incepiſtis, pergatis pede. Habetis hic *præcurſorem*; non *Apollinem* aliquem Idolum *Ethnicum* cum ſuis *Muſis fidicinis*; nec *Apollyon Apocalypticum* non minus deteſtandum, cum ſuis *Locuſtis* circùm ſaltantibus; ſed *Apollo* commendatum Chriſti Diſcipulis in *Achaiâ* per Fratrum *Epheſinorum* literas. Quibus cum adveniſſet, multum contulit, ratione *Donorum*, *Aſſiduitatis*, et *fervoris* etiam iis, qui crediderant per *gratiam*, ut indicat hujus Capitis verſus 27. Hujus tam *illuſtre*, et *expoſitum exemplum* (*Baccalaurei*) veſtros conatus *erigat*, inſtitutio *dirigat*, fervor *inflammet*; Methodus in loquendo, docendo, diſcendo, diſputando *manuducat*, ut ab *Artibus*, ad *altiora*, ab *Ariſtotele*, ad *Johannem*, â *Johanne* ad *Chriſtum* mature, & feliciter perveniatis; per *ductum Sancti Spiritus*; Cui cum *Patre*, & *Filio* ſit omnis Laus & Gloria in ſæcula ſæculorum. AMEN.

Ezech. 47.

FINIS.

CLARISSIMO ADOLESCENTI

Dº. ROBERTO DORMER

Baroni de Wing.

PAtere (*Baro* Illuſtriſsime) ut ſub Tuis prodeat auſpicijs, hæc ad *Iuniores Concio*: Si alicubi pungat, de Apibus agit; quæ ut abùndant melle: ita non carent Aculeo.

Non quiſquam fruitur veris odoribus,
Hyblæos latebris nec ſpoliat favos;
Si fronti caveat, ſi timeat rubos:
Armat ſpina roſas, mella tegunt apes.

Quàm *paterno* pluſquam *affectu*, de *profectu* Tuo ſit ſollicitus, Illuſtriſsimus *Socer Tuus*, *Mæcenas* mihi Honoratiſsimus, non opus eſt ut ipſe ſuggeram, cùm tot in aprico eluceſcant *Indicia*. Civitas *ſuper montem poſita*, non poteſt *occultari*; & in *conſpectiori conditionis ſublimitate*, vix libentiùs obſervantur *virtutes*, quàm notantur *Nævi*. Satiùs eſt autem nunquam

nunquam *cœptis egregijs ſpem* excitaſſe, quàm conſtanter non foviſſe; quia expectatio *Fœneratrix* eſt, cui *pacto tempore*, niſi ad *Aſſem* fiat ſatis, indignatur ſtatim, & *delinquentem* poſtulat injuriarum. Sed ne *Præfatio* à Textu *generoſum Tuum Candorem* diutiùs detineat, Tantum addo: Si (conculcatis hujus mundi *mellitis Illecebris*) *Obedidientia*, *Abſtinentia* & *Juramenti* Religio, ad guſtum Tuum *Nobiliorem* faciant; ſatis habet is qui unà cum hâc grati Animi *Teſſera* Seipſum dicat, dedicatq;

Exon: *Coll: ex Muſæo meo*
d. 8. *Martij*, Anno D. 1626.

Amplitudini Tuæ

Syncerè devotus.

JOHANNES PRIDEAVX.

CONCIO V^ta.

Habita ad

ARTIVM BACCALAVREOS

IN DIE CINERVM,

22. Feb. 1626.

De *Religione Iuramenti.*

1. SAM. 14. 26.

Ingreſſus eſt itaq́; populus ſaltum, & apparuit fluens mel, nulluſq́ applicuit manum ad os ſuum. Timebat enim populus iuramentum.

VErba ſunt præcedaneæ *Narrationis* clauſula, quæ ſic ſe habet. Philiſthini opprimunt *Iſraelitas*, *Jonathas* cum *Armigero* invadit, & diſſipat munitiſſimum eorum præſidium. *Saul* intentus *cædi* & *Victoriæ*, *Anathematis* vinculo conſtringit *populum*, ut ad *Veſperam* uſq; nemo *panem comederet*, priuſquam de fuſis hoſtibus internecina (quâ fieri poſſet) ſumpta eſſet ultio. Palantes conſternuntur *Philiſthæi* à *Michmaſo* uſq; ad *Aialon*: Languidiùs inſtant *Iſraelitæ*, non tam laſſi de *via*, aut reluctantium *impetu*, quàm *ſuperſtitioſo* confecti *jejunio*. Vacillant *pedes*, caligant *oculi*, decidunt *manus* ad latrantis *ſtomachi* vellicantem inediam. Quis periclitantibus in tali diſcrimine debitum negaret commeatum? Præ manibus erat *Victoria*; Hoſtes è *cælo ſideratos* antevertere, erat prorsùs evertere; ſic ut nil deeſſe videbatur ad *vindictæ* ingluviem, niſi ut *comederent*, quò alacriùs *occiderent*. Milites autem (ut nôſtis) efferatos præſertim *odio*, & *ſucceſſu* elatos, non ita ſubitò ſolet cicurare *Religio*, ut cogitent ſtatim, quid *fieri oporteat*, dum quod *libet*, *licet*; & conſtet quàm *aculeatus* ſit

famis

famis ſtimulus, & in *ſanctionibus* multò *ſolennioribus*, quàm facilè diſpenset *neceſſitas*. Contemplamini tamen hîc inter *furioſos fidem*, à *caſtris* continentiam, in turba *currentium*, ſudantium, & hoſtes undiq; *obtruncantium*, reluctante veluti *Naturâ*, ringente *fame*, rapienteq; aliorsùm occaſionis eſca, ſtupendum *multitudinis* conſenſum, *Ingreſſus eſt populus ſaltum, & apparuit fluens mel. Nulluſq; applicuit manum ad os ſuum. Timebat enim populus juramentum.*

2. Celebre profectò in re ancipiti *religioſæ* exemplum *Obedientiæ*!

In quo *primo* velut intuitu hæc *tria* ſe exhibent diſpiciенda,
1 Ad peccandum *Illecebra*; *Ingreſſus eſt populus ſaltum, & apparuit fluens mel.*
2 *Conſtantia* populi ad abſtinendum; *Nulluſq; applicuit manum ad os ſuum.*
3 *Ratio* iſtius *Conſtantiæ*; *Timebat enim Populus Juramentum.*

Non defuit *Illecebræ* quævis ad pelliciendum *Suada*; *populus* tamen *abſtinet*. *Abſtinet populus* non proprio *motu* aut *metu*, ſed ex *jmmamenti* conſcientia. Habetis hîc (*Ingenui Adoleſcentes*) Militiæ veſtræ Chriſtianæ, ad *tres* veluti *Scenas* redactum *Drama*. Vultis in voluminoſo *humanæ* hujus *vitæ* noſtræ theatro, quid primò occurrit? *Tentatio*. Vultis, quid deinceps ſuccurrit? *Abſtinentia*. Et quis *abſtineret* ab Illicitis, niſi religioſi deterreret pacti *timendum* aliquod *jmmantenuum*? Beatus ille qui *timet*, quia *juravit*, & *abſtinet*, quia *timet*, & victor evadit, quoniam *abſtinet*. Videtis primâ fronte (*Adoleſcentes*) quos mihi præfixi limites. Sanè è *Tentatis* quàm pauci hodiè *abſtinent*, aut *juramenti* intervenientis memores ſe oſtendunt. Singula autem dum percurro *laxius*, pro *diſtractæ Meditationis* apparatu *tumultuario*, ignoſcent (uti ſpero) *Robuſtiores*, qui adſunt *ad placitum*, ſi *Tenerioribus* hiſce meis *candidatis* ſtylum præcipnè attemperem. Neq; enim *Ovium tantùm* ex *Servatoris* mandato, ſed & *Agnorum* etiam à *Petro* habenda erat ratio. Et nota eſt illa *Apoſtolicæ* inter τὸ λογικὸν ἄδολον γάλα & στερεὰν τροφὴν, inter *lac quaſi modò genitorum*, & *cibum Adultorum ſolidiorem* diſtinctio. Cùm interrogabat *Servator* poſt reſurrectionem *mirantes præ gaudio diſcipulos*, Luc. 24. *Habetiſne hîc aliquid, quod manducetur?* Obtulerunt ipſi, ut ſequitur in textu, *partem piſcis aſſi*, & *favum mellis*. *Favum mellis* etiam è cadavere *Leonis extractum* commedebat *Sampſon* in via, & *parentibus manducandum* communicabat: Vobis verò ſi inceſſerit cupido tam *Blandientis edulii*, cogitate vos præpete mentis ala, *Terram Iſraeliticam* pro tempore perluſtrare, Aſcenſum *Jonathæ* & *Armigeri* inter *dentatas petras*, & *fugam Philiſthæorum* modò conſpexiſſe, audiviſſe *præcipitem* Saulis *adjurationem*, & *deficientis* & *Jejunantis populi* ſortem indolere: de quo quid ulteriùs expectandum delineat *Textus*. *Ingreſſus eſt itaq; populus ſaltum, & apparuit fluens mel.* Laſſis & Famelicis non ſegnis ad ineſcandum *Illecebra*, de qua *primo in loco* aliquid eſt dicendum.

Ioh. 21. Heb. 5. 1. Pet. 2.

Iud. 14.

3. *Ingreſſus eſt populus ſaltum*] Terræ *Iſraeliticæ* fertilitatem, qui cæteris omnibus præferunt *Regionibus*, uberrimam ejus affluentiam vix ſatis exprimunt. Quis enim neſcit *Balſamum Gilead*, *Quercus Baſan*, *vites Engeddi*, *Armenta Saron*, *Cedros Libani*, *Saltum Carmeli*, & cætera ejuſdem penu, κατ' ἐξοχὴν aliquid, quoties nominantur, in *ſuo genere* denotare? Ut planities *Jordan* ante *Sodomæ* & *Gomorrhæ* incendium erat גן יהוה ut habet textus, ſicut *Hortus Domini*, & ſicut *Ægyptus venientibus in Segor*: Ita omnes illæ circumjacentes *Regiones* à monte *Gilead* ad *Mare Mediterraneum*, & à *Dan* uſq; ad *Berſabee*. Permanſerunt poſtea longè florentiores ex *ipſius Domini* Geographia. *Terra* (inquit) *ad quam ingrederis poſſidendum, non eſt ſicut Terra Ægypti, de quâ exiſti; ubi jacto ſemine in Hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ: Sed montoſa eſt & campeſtris, de cœlo expectans pluviam, quam Dominus Deus Tuus ſemper inviſit, & oculi ejus in ea ſunt, à principio anni uſq; ad finem ejus.* Sed non libet â textu peregrinari. Quod toties pollicitus eſt *Dominus*: *Introducam te in terram lactis & melle fluentem*, Exod. 3. & paſſim alibi; non tantùm invenerunt *Exploratores* eſſe veriſſimum, Num. 13. & ad oculum demonſtrârunt, tot *Nationes* inter tam *anguſtos limites*; tot *Civitates*, quarum in ſacra pagina *illuſtria* ſunt *Nomina*; tot milites in *cenſu Davidico* conſpicui, & poſtea ab *Abia* & *Jeroboam* in aciem educti, ſed abſq; alicujus *tropi pallio* oſtendit hic *contextus*. Quid ſaltu *vepribus* & *dumetis* horrido incultius? Et quid *Eremo* deſolatius? Ut *Iohanni Baptiſtæ* tamen in *Eremo* præter *Locuſtas* erat demenſum

1. Chron. 27. 1. Reg. 19.

Gen. 13.

Deut. 11.

Exod. 3.

2. Sam. 24. 2. Chron. 13.

menſum *mel ſylveſtre*: Ita *populo* hîc ingrediente, non de *induſtria*, ſed ut tulit *caſus*, attraxit *hoſtium fuga*, in confinio *Tribus Ephraemiticæ* & *Benjamiticæ*, non alicujus *nominis* ſylva; ὁ δρυμὸς ἦν μελίσσιος καὶ ἐφάνησαν τὰ ἄγρια ut habent verſu priori ſeptuaginta. והנה הלך רכש Et ecce *mellis ambulatio*, ut hic loquitur *textus originalis*; quæ *Ambulantium* & *feſtinantium* non tantùm retardavit greſſus; ſed *famelicos* quaſi invitavit ut unâ eademq; operâ *pedibus* & *ventri* conſulerent, quò alacriùs hoſtes inſequerentur.

4. Verùm in hujus *Ambulacri* tranſitu, duo injiciuntur *Scrupuli*. 1. *Criticus*, quid רכש in *textu* ſignificet. Alter *phyſicus*, an hoc è *cælo* fuerit, vel ab *Apibus*, vel *aliunde*? Priori anſam præbuerunt, qui iſtius vocabuli *ſignificatum* extendunt nimiùm, ut unà cum *melle* תמרים *dactylos*, imò quamvis *dulcedinem fluentem*, vel *fructus dulces* deſignaret, aliter (inquiunt) non ferenda fuiſſet *populi oblatio* 2. Paralip. 31. cùm *inter cætera* רכש *attulerunt*, quod expreſſe in omnibus *ſacrificiis* erat interdictum, *Lev.* 2. Ita *Doctores Hebræorum* ad *Deut.* 8. nec repugnant è noſtris ſat *multi*. Sed non opus erat iſto *cæmento* ad textum conſolidandum, ex quo ſatis liquet, illud רכש, quod *ſacrificiis ignitis* nullo modo eſſet *immiſcendum*, ſub *Primitiarum* titulo *Deo* fuiſſe gratiſſimum: quod & *Syrus* per *Debſho*, *Chaldæus* per רובשא, *Arabs* per *Dabeſon* nativè ſatis exprimunt. Hinc igitur habemus, *ad literam* fuiſſe impletam Domini *promiſſionem* in *melliflua* Iſraelis copia. Prædicant Græci ſuas *Hyblas* & *Hymettos* melle circumſtillantes: ſed *Apes* ipſorum *Schadones* ſunt, (ut verbo utar Ariſtotelico) & inſtar *culicum*, ad *Terræ ſanctæ* examina; de qua ut illud dictum fuit: *Vinea erat dilecto meo* בקרן בן־שמן *In cornu filii olei* Eſaiæ 5. Ita non minus erat conſita בקון בן־רבש *In cornu filiimellis*, propter undiq; *ebullientem* mellis ſcaturiginem.

Mercer. Schindler.

Lev. 2. Mat. 3.

Deut. 8.

Hiſtor. Animal. c. 22.

Flumina jam lactis, jam flumina Nectaris ibant,
Flavaq; de viridi ſtillabant Ilice mella.

Sed unde illud mel, vel ex *Apum mellificio*, vel ex cœli aut *aëris rore*, vel ex *exſudante florum* aut *foliorum* ſucco, ſecundum excitat inter *Sciolos* litigium. Negari quidem non poteſt, quod & attingit veſter *Ariſtoteles*, nonnulla eſſe *mellis genera* à nulla *Apum* induſtria, ut *Arundineum* & *Manna*, quod à *Cornelio Celſo* & *Columella*, *Ros Syriacus*, à *Galeno*, *mel aerium* appellabatur; quale hodiè in *Calabria* & alibi colligi, (ut olim accidit in *Deſerto*) teſtantur *Matheolus* & *Valeſius*. Quin & *Rabbi Solomon Jarchi* in hunc locum, hoc *Mel* fuiſſe tantùm *Cannarum Saccharum*, contendit. verba ipſius ſunt רכש ס׳קרא כלעז ובלשון ישמעאל קורין לאותו In lingua *Iſmaelitarum* vocant illud רכש *Sukera* in lingua *Gentilium*. Sed repugnat *Kimchi*: Ego (inquit היה זה לא ידעתי מאין *non cognovi, unde hoc habuerit*: Suffragatur *Rabbi Levi Ben Gerſon*, ut videre eſt in Bibliis *Ximenianis* & *Buxtorfianis*, unde patet *Apum* hanc fuiſſe *opulentiam*, quæ vel in *Arborum cavitatibus*, vel *Petrarum fiſſuris*, vel in aliis quibuſdam *Alveolis*, tanto cum fœnore *mellificaſſent*, ut extra ripas quaſi exſudabat *Succus fluidus*, & ſubjectam terræ inungebat *faciem*, quod de *Saccharo cannis incluſo* difficile eſt aſſerere. Tale quiddam hodiè in locis quibuſdam *Sylveſtribus* & *confragoſis Hiſpaniæ* inveniri affirmat *Caſpar Sanctius Jeſuita* in hunc locum. Unde (addit) ad quorundam *montium* radices *Mellis rivos* copioſè *decurrere*. Sed indulgendæ ſunt aliquoties *Jeſuitis*, tam *audaces* & *effrontes Hyperbolæ*, aliter à *mendacio* vix excuſaret illorum *Æquivocatio*. Ecquid interea non videmus in *Hondii* tabulis *Geographicis depictum* quendam *Ruſticum*, qui in *ſylva* hujuſmodi *melliflua* (nigræ ni fallor) *Ruſſiæ* in talem incidiſſet *Mellis foveam*, ab urſo, *lepido ſtratagemate* fuiſſe extractum? Μελισσοζόῳ δ' ἐνὶ λόχμῃ In *ſylva* eodem modo *Apibus depaſta* ac irrigata, *Melle* & *locuſtis* ſe ſatiabat *Iohannes Baptiſta* apud *Nonnum*. Nec aliter hîc Philoſophandum. In ſaltu hoc quem *populus ingrediebatur*, *Arbores*, vel *petræ*, vel terræ excavatæ *caſulæ* mellificantium Apum *Collegiis* gratis ſuppeditabant *Muſæa*: unde tanta *mellis* ebulliit *affluentia*, ut jejunantibus *militibus* tota interèa terra (ut habet *quidam*) ſatis lautè *prandebat*.

Ibid. Conimb Meteor. tract 7. c. 11. De Aliment. l. 3 c. 9. In Dioſcor. l. 1. c. 37. Sacer. philoſoph. c. 37.

Chryſoſt.

5. Cæterùm quod de *Bove triturante* pronunciabat *Apoſtolus*; Num de *Bobus cura eſt Deo*? Idem mihi liceat in præſenti *negotio*, num *mel* hic tantum non erat *deguſtandum*, & non cavenda potiùs *titillans*, quæ ſub *favo* litat, ad peccandum *invitatio*? Sic ſe res habet, (*Baccalaurei*) *Phyſici* veſtri in accuratiori rerum *ſcrutinio*, *materiam* præcipuè & *formam* intuentur, ex quibus coaleſcit *compoſitum*; At de *fine* & *efficiente*

1. Cor. 9.

efficiente *Theologi* noſtri ſunt ſoliciti, unde *uſus ſalutaris* à contemplantibus eliciatur. Ergò ut eſurientibus hiſce *militum turmis*, tam expoſitum ad reficiendum *mel*, non vulgare erat *irritamentum* ad exſufflandum *Regis Anathema*: Ita in toto *noſtræ vitæ* decurſu, non deſunt ad *ſeducendum allicia*, & *Syrenes*, quæ vel *retardant* greſſus, vel *divertunt*, vel per *mellitas* voluptatum *placentulas* prorſus impediunt. Ita *Adam* in *Paradyſo*, *Noah* in *Vinea*, *Joſephus* in *Phaaronis* aula (cujus abſtinentia in *Alcorano* vel ipſis *Turcis* eſt celebris) *Moſes* in *deſerto*, *David* in *ſolio*, *Paulus* (ut ita loquar) in *pulpito*, mellita hujuſmodi *tragemata* & *ſtratagemata* in *mandati Improperium* ſunt experti. Nomines quemvis *conſtantem* priſcæ aut ſequioris *diſciplinæ*, & ego illum *tentatum*, *irretitum*, *concuſſum*, *proſtratum*, *fractum* aliquoties oſtendam. *Vetus Adam*, *Angelus Satanæ*, σκόλοψ τῆ σαρκὸς, *corpus peccati*, transfixa à nobis indies, identidem reviviſcunt, nec *victores* ferunt inducias, nec obſervant *victi*. Inter *Lycea* igitur & *Peripata* veſtra (*Baccalaurei*) veſtra etiam alia *Tentationum ſchola* requirit *exercitia*; ubi non reſpondebit pro vobis *Ariſtoteles*, ſed *ſtipulatio bonæ conſcientiæ*, *verbo* illi innixa, quod *deſiderabilius eſt auro & obrizo multo*, *dulcius melle* & *Favi fragmento*. Vultis ut *aliquod ſpecimen* hujus *doctrinæ ſcholaſticæ* vobis exhibeam? *pauciſſimis* ſic accipite: *Tentatio eſt militis Chriſtiani Armiluſtrium*, vel ad *medelam* vel ad *ruinam*. Itaq; duplex eſt (ſuggerente diſtinctionem *Auguſtino*) *Probationis* aut *Seductionis*. Ad probandum *Deus* ipſe aliquoties *tentat*, idq; vel per res *proſperas*, ut *Solomonem*, vel *aſperas*, ut *Jobum*: *Seductio* autem è contra tanquam laqueus injicitur per *carnem*, *Mundum* aut *Diabolum*. *Caro* tentat, *Deum*, *ſeipſam*, *alios*. Deum, vel *præſumptione*, *prodigendo* vel *pervertendo* ipſius *beneficia*, vel *concupiſcentiâ*, ad *appetenda illicita*: Tentat ſeipſam *Coro*, *Socordiâ* aut φιλαυτίᾳ: Alios verò, vel malum ſuadendo, vel exemplum præbendo. *Mundi* deinceps *Incantamenta*, revocantur ad hæc *tria capita*, *concupiſcentiam carnis*, *concupiſcentiam oculorum*, & *faſtum vitæ*, 1. Ioh. 2. ut *Diaboli* ſe produnt *tria guttura* γαστριμαργίας, *luxuriæ*, ἀισχροκερδείας *turpis lucri*, & κενοδοξίας *Inanis gloriæ*, Math. 4.

1. Pet. 3. Pſal. 19.

1. Ioh. 2. 16.

6. Jam verò cùm *hoſtes iſti* perpetuò nobis inſidientur, ut in *æternum* abripiant *exitium*, nunquid noſtrum eſt *tergiverſari* aut *ſegneſcere*, & (ut *Boves* ad lanienam ſaginatos) aut *piſciculos* in *naſſam*, *ſcientes*, & *prudentes* irruere? *Sampſon Philiſthæi* ſunt in inſidiis, ut *oculos tuos* effodiant, & te *captivum* ducant, Et tua intereà in *meretricio* alicujus *Dalilæ* ſtertis aut *torpeſcis gremio*? Refert *Neubrigenſis* de quodam *Ketello* noſtrate *Eboracenſi*, qui tali pollebat *dono*, ut *diabolos* quoſcunq; & *umbras*, ac ſi fuiſſent *corporea*, potuerit oculis videre. O ſi conſimili modo in *conſpectum* prodirent noſtrum, *obſidentium*, *tentantium*, & *irruentium* tartariæ *cohortes* & *proxinetæ*; perterriti profectò exclamaremus cum *Eliſæi miniſtro*, ad *Syrorum* inexpectatos *Phalanges*, *Eheu Domini me*, *quid faciemus*! vel potius cum *Davide*: *Salvum me fac Deus*, *quoniam introiverunt aquæ uſq; ad animam meam*, *Infixus ſum in luto profundo*, *& non eſt ſubſtantia*, *veni in altitudinem Maris*, *& tempeſtas demerſit me*. Anatomen *corporis* libentiſſimè confluitis ad inſpiciendum (*Adoleſcentes*) quia juvat *conditoris tanti* artificium, & *operis* tam ſtupendi fabricam (unde γνῶθι σεαυτὸν illud antiquorum ex parte conſtat) *oculis* perluſtrare & admirari; *Corpori* tantum *operæ* impendatur & nihil animæ? *Hujus* deſiderabitur, & non *Alterius* Anatome? At quid cogitata adeo *eviſceret*, & in apricum protraheret, *Hypocriſi* larvam detraheret, *cordatos* ut *obrizum* è *fornace* defæcatiores educeret, ac *Tentationum* (quibuſcum perpetuò colluctamur) *ignis purgatorius*? Ut in *Bello fortis*, *ſapiens in ira*, *amicus in adverſis* præcipuè eminet: Ita in *acrioribus* tentationem *paroxiſmis*, examen ſubit, & ſe probat, *generoſum pectus*. Siquidem attolle oculos ad *Deum*, quàm proclives ſumus *proſperis* intumeſcere, & in *depreſſis* animum deſpondere? Demittas deinde ad *terreſtrem glebam*, *caro* ſtatim *titillat*, *mundus lonocinatur*, & *Diabolus* ὡς λέων ὠρυόμενος περιπατεῖ, *tanquam Leo rugiens* agit *peripateticum* ζητῶν τίνα καταπίῃ quærens quem *epotet*, ſive abſorbeat. Theſauros *Beneficentiæ* effundit in nos *cœleſtis pater*? vel *abutimur*, vel non *agroſcimus*. Illicitis ſevere *interdicit*? ruptis *legum & modeſtiæ* repagulis, cum *gentibus* vociferamur in *Pſalmo*, *Diſrumpamus vincula eorum & projiciamus* à nobis tales funes; promoti ſumus ultra meritum? Vel φιλαυλίᾳ *inflati* turgeſcimus, aut *ſocordiâ* torpidi in *Epicuros* & *Ardeliones* obruteſcimus. Sic ut aliis adfricamus *contagioſam tentiginem*, vel *ſuaſu noſtro*, vel *exemplo*, nec vitia ulterius *noſtra* ferre poſſumus, aut *remedia*. Quomodo facta eſt *hæc Academia* apud *Exteros* huc uſq; adeo *celebris*, apud *Domeſticos* ſubitò *vilis*

1. Pet. 4. Arab. Adag. 50.

2. Pet. 5.

Pſal. 2.

Rerum Angl. l. 2. c. 21.

2. Reg. 6. Pſ. 68.

Pſ. 139.

lis, & quasi *mensæ fabula*? Expectârunt *Boni* post nuperum, hęc satis adhuc *obductum contagionis* vulnus, vel cum *Æaco* apud *Ovidium*, ex *Formicis*, laboriosos *Mermidones*, vel cum *Aristæo* apud *Virgilium* (præsertim in hoc *Bovum Vado*) ex *Juvencorum* cadaveribus, *Apes sedulas*; sed *Fuci* prodiere & Crabrones, and *Bombilandum* tantùm, aut *pangendum*, non ad *mellificandum* comparati. *Cognovit Bos possessorem* suum, & *Asinus præsepe Domini sui*; sed nos facti sumus, sicut *Equus & Mulus*, quibus non est *intellectus*, quos nulli *Cami* aut *Frœna* constringant, aut retrahant à præcipitiis. *Aviibus* exculti, *gradibus* ornati, *luci mundi* expositi, quid facimus, aut quas gratias Deo rependimus? *Homo in honore non intelligit*, sed *similis est jumentis, quæ intereunt*. Nisi igitur inter nonnullos *Lurcones*, *Turbones*, *Bibones*, Dominus exercituum reliquisset nobis aliquod *Ingenuorum* semen, quasi *Sodoma* fuissemus (ut loquitur de suis *Propheta*) aut *Gomorrhæ* similes.

Metamorph. l. 7.
Georg. l. 4.
Isai 1.
Ps. 32.
Psal. 49.
Isai. 1.

7. Sed nimius fortasse fui in *urendo* & *secando*, Regredior ad vos (*Baccalaurei*) mei *mallei* pro tempore *incudes*. Cogitate vos hodiè *sálium melle fluentem* ingredi: Affectibus proculdubio vestris, pro ætate *ductilioribus* in posterum ingerentur, *carnis, Mundi* & *Diaboli, mellita*, sed *lethalia* incantamenta. *Turmæ Belial, & Satanæ*, ut *Tormenta* totidem bellica, in vestram *obsidionem* erunt exposita: Tenticulas struet *Tartarius* iste *Sophista*, in *cibo* vestro, & *potu*, & graduum *privilegijs*; ut nova *dignitas*, aut *scientia* inflet, aut *amoto custode*, aut *collato* libertatis *pileo* abducat licentia. Venenum instillabit *otio, libertati*, & *Mæcenatum*, quibus fruimur, *beneficijs*; ut *morositas* vel *socordia* nos dementet. *Studia* nostra universa, progressus *ingenij* & *industriæ* laudatissimos, sic nonnunquam inficiet, ut quæ *humilitas* & *modestia* condirent, ad summam *Dei* gloriam & *Ecclesiæ*, *Reipublicæ* & *nostrum* emolumentum, fermentabit prorsus φιλαυτία, ad totius *Massæ* putredinem. Nil tam *vile & conculcandum* quin si *negligas*, & penetrantibus pietatis oculis non *inspicias*, pelliceat tandem ad *atriora*, & tenebris istis, (in quibus *fletus* est & *stridor dentium*) nos tandem involvat. Quid *Muscæ* aut *pulicis* morsu contemptius? Et quàm facilè hujusmodi abiguntur? Animadvertite tamen ex *Augustino* in *Iohannem* Tractatu primo, in istis *minutiis Serpentis tortuosi* versutias. *Nescio quis* (inquit *Pater* ille oculatissimus) *Catholicus* à *Muscis* tædium patiebatur; Invenit illum *Manichæus tædio affectum*, & cùm diceret, se non posse *pati muscas, & odisse illas vehementer*: statim ille *quis fecit has* (quærit?) Ille quia *tædio affectus*, & quia *odio* habebat illas, non ausus est dicere: *Deus illas fecit*: Instat *Manichæus*, si Deus illas non fecit, quis illas fecit? Plane respondit (*Catholicus*) Ego credo, quod *Diabolus illas fecerit*. Regerit *Manichæus*, si Diabolus illas fecit, sicut te *video confiteri quia prudenter intelligis*, *Apem* quis fecit quæ paulò *amplior* est *Musca*? Non ausus est *Catholicus* dicere, quod *Deus* fecerit *Apem*, & *Muscam* non fecerit, quæ res erat illi *proxima*, ab Ape ad *locustam*, à *Locusta* ad *Lacertam*, à *Lacerta* ad *Avem*, ab *Ave* duxit ad *pecus*, inde ad *Bovem*, inde ad *Elephantem*, postremò ad *Hominem*, & persuasit *Homini*, quòd *non à Deo factus esset homo*. Hactenus *Socraticus* erat de *Musca Dialogismus*; sed quodnam subrexitur *morale*? Ita *ille miser* (verba sunt punctissima ejusdem Patris) cùm *tædium passus sit à muscis*, *musca factus est*, *quem Diabolus possideret*. Sic per *foramen angustius* non opportune obturatum influunt aliquoties *Aquæ*, quæ submergunt *Navigium*. Caveat igitur à *Minutioribus*, qui à *gravioribus* implicari nonvult, & obrui. Quod & *Populum* hîc feciſſe, ex *textu* liquet. *Saltus* erat *opportunus*, *mensa extemporanea* (ut loquitur *Chrysostomus*) & *nutrimenti suavitas*, & *latendi spes* in *Sacramenti* prævaricationem ipsos allicìebat. Non erat qui *notaret*, aut *deferret* tam *venialem* lapsum: Mel *fluebat*, fames *urgebat*, fossæ arbusta & gramen Terræ quasi *saliare* celebrant convivium. Inter tot tamen & tales, intrusas veluti in manus peccandi *ansas*, *Nullus applicuit manum ad os suum* quod secundo in loco est dispiciendum.

Aug. in Ioh. Tract. 1.

8. *Nullus q. applicuit manum ad os suum*] Plerumq; evenit, ut in *Minimis maxima* eluceſcant *virtutum* exempla: Ex ore *lactantium* perficit Deus laudem, & ubi tacent *Pharisæi*, aut indignantur, *Hosanna* clamant *Pueruli*. Quinam fuerunt *isti & quales*, qui tam *religiosæ obedientiæ*, tam *deprædicandum* hîc præbent *specimen*, Accepistis ὡς ἐν τύπῳ in *præcedentibus*: עם *populus* ingrediebatur sylvam, & audiecis in *sequentibus*, עם *Populus timebat Juramentum*, *populus* igitur *erat*, & non *populi flores delibati*. E nostris forsan *Institutioribus* si interfuissent nonnulli, arripuissent potiùs virgulam censoriam, & *Magistratui* procaciter sic *dicam* impegissent. Quid sibi

Ps. 8. Mat. 21.

vult *Rex noſter*, ut nos in tales anguſtias redigeret. Nunquid præcepit *Deus*? Extorſit *Neceſſitas*? ſuaſerit *utilitas*? Ut tam præcipiti *Anathemate* nos innodaret? An ita mancipati ſumus alicujus *ſuperioris* obſequio? ut pro lege ſtaret ipſius *Temeritas*, præſertim nobis qui non *Ancillæ* filii ſumus, ſed *liberæ*, nec minùs fortè valemus *conſilio*, aut *ingenio*, quàm ille qui pro *imperio nimium* ſic præceperit? Inde *quæſtiones* & *diſputationes* inſtituiſſent, de *Jure* quo potuit *Magiſtratus*, tale aliquid ipſis injungere; de *Prudentiâ*, quâ fecit, quanti eſſet *momenti* tam inſubitè prolata *Maledictio*? An *pœnâ* potiùs, quàm *præmio* erat dignus, qui contemneret & violaret? Spondiſſent *mutuum auxilium*, *numero*, & *clamoribus* exigentem ab ipſis *debitum obſequium*, deterruiſſent & obruiſſent. Tam *Feroces* & *Animoſi* ſunt noſtri *Togati*, inter *pacis* & *Muſarum* ſacraria! Sed quid Milites hi efferi, *Hoſtium* cruore madidi, duce abſente, & in *Æſtu* victoriæ, & *famis* ſtimulis quaſi *æſtro* perciti? Quid (inquam) Milites iſti? Num *frendebant*, aut *indignabantur*, aut apertè *Magiſtratum* calumniabantur? *Textus* indicat non feciſſe: Bellua erat (ut dicitur) *multorum capitum*, & *diverſi* (ut credibile eſt) inter illos *diverſimodè* erant affecti, ex tot tamen *laſſis*, *languidis*, *deficientibus Nullus* [aut *apertè* mandatum violat, aut *occulto* inter *vepres* & *dumeta* prævaricatur. Quinimò cùm eſſet ad manum, quod *gratis* & ſummâ cum voluptate *Gulæ* & *Abdomini* ſatisfaceret, ne *unus* vel *manum* extendit ad *mandati* neglectum, aut *applicat ad os ſuum*] ut appetitum ſuum proderet. Tanta ipſos *Obedientiæ* in *Magiſtratum* tenuit *Religio*. Veniſſet proculdubio illis in mentem, quid *Patribus* ipſorum in *Deſerto*, ex *octo* iſtis *Murmurationibus*, præſertim in funeſto per *Corah*, *Dathan*, & *Abiram* excitato tumultu, *miraculosè* contigiſſet. Nec excidiſſet, quod præceperat *Samuel* de *Authoritate Regia*, cùm *Regem* anteà poſtulaſſent capite *octavo*. Et ſanè, non tam *quid præcipitur*, ſemper ab Inferiori eſt reſpiciendum, (ut alicubi monet *Bernardus*) quàm *debitæ obedientiæ* juramentum. Non tanti videbitur quamplurimis (qui tamen nos omnes fecit miſeros) *Adami lapſus*, ſi *caro* aut *ſanguis*, aut *veſter* forſan *Ariſtoteles* ſederet pro tribunali. Nam quid erat diſcriminis inter *Fructum vetitum* & permiſſum? Aut quid damni accidiſſet Imperanti, ex *hujus* potiùs eſu, quàm *alterius*? *Obedientiæ* interim & *obſervantiæ* & *datæ fidei* non ferenda erat violatio, quæ eò evaſit *atrocior*, quò in re tam *facilis* & *liberalis* obſequii *infinita* erat neglecta *Authoritas*. In *facilioribus* ſiquidem minuſque, *oneroſis* (ut optimè addit *Bernardus*) eò contemptus eſt *damnabilior*, quò actus videtur *laudabilior*. Et annon hoc ipſum *Sauli* inculcat *Samuel*, in ſequenti capite, qui cùm miſſus eſſet ut *Amalek* deleret, *Regem* & nonnulla ſervaſſet *ſpolia*? Nunquid *vult Dominus* (inquit) *Holocauſta* aut *victimas*, & non potiùs ut *obediatur voci Domini*? *Melior eſt enim obedientia*, *quàm victima*, *& auſcultare magis*, *quàm adferre adipem Arietum*. Rationem reddit *Gregorius*, quia per *victimas aliena caro*, per *obedientiam propria voluntas* mactatur.

Chryſoſt. ad Antioch. p. 14

De præcept. & diſpenſat.

1. Sam. 15.

Moral. l. 35.

9. Sed iſta, ut ſatis nota, miſſa facio. *Obedientiam* & *Abſtinentiam* facilè admittunt *omnes*, ſed quæritur in quibus *obediendum* ſit & *abſtinendum*, & *quousq;*? Neq; enim vel parentibus, vel cujuſcunq; ſortis aut conditionis *Superioribus* in *omnibus* eſſe obtemperandum docent *Scholaſtici*, & *cæca Monachorum obedientia*, quâ homines in *Beſtias*, aut *ſtipites* ſic degenerant, ut tanquam *cadaver* aut *ſenis baculum* (ſicut præcipiunt *Ieſuitæ*) quoquo versùs ſe ferri ſinant, *Chriſtianæ libertati* prorſus adverſatur. Quam *ridiculæ* enim ſunt iſtæ Fraterculorum *Orgiæ*? Quæ *ebuccinantur* tamen à ſuis tanquam *illuſtria* obedientiæ *Trophæa*? Quale eſt illud *cujuſdam* ad Imperatum *Abbatis*, *Filium ſuum plorantem* in *flumen* præcipitantis: *Alterius*, ad *Superioris* mandatum clibanum ardentem ingredientis: *Tertij* virgam ſtoracinam aridam, abſq; *ſucco* aut *radicibus*, per *triennium* rigantis, donec *flores* & *fructus* produceret. Adducit hæc & probat *Bellarminus* Lib. 2. de Monachis c. 21. & *Proſelytæ* acquieſcunt & admirantur. Deprædicatur *Throgmortoni* noſtri obedientia, quòd in ipſo *Mortis* articulo animam noluerit exhalare, & Deo concredere, priuſquàm A Superiori aſſidente *petiiſſet* & *impetraſſet* veniam. Deliriis hujuſmodi anilibus ad dementandum *credulos* confictis, *Sedulius* totum caput deputat in ſuorum *Apologia*, ad *Minoritarum*, *Ruffini* ſcilicet, & *Juniperi*, & reliquorum ejuſdem *cœni* non vulgare encomium: Ejuſdem fœturæ *Animal* in gratiam Jeſuitarum delineat Ceparius in vita *Gonzagæ*; nec puduit *Bellarminum* & *Sanctium* hujuſmodi *Nœniis* pluſquam *Iberis* fidem facere. Mirum videretur *Sagacioribus*, *Diabolum* potuiſſe *ſal* tot

Inſt. p. 3. c. 3.

Caſſand. coll. l. 4. c. 27. 28. Sulpit. dial. 1. de vit. S. Martini. De Monach. l. 2. c. 21. Everard. Apol. l. 3. c. 1.

Doctorum

Doctorum & *prudentum*, tam expositis *nugis* infatuare, nisi dedicissent ex *Apocalypsi*, meretricem istam *Babylonicam* omnes gentes *Circæo* Abominationum *poculo* inebriaturam. Annon enim *monstri* simile est, *Monachatum* illum *papisticum*, qui nullo nititur *Scripturæ fundamento*, tantùm pendet sive ab *Instituentium* crassa *Ignorantia*, aut *panurgia*; sive ab *Admittentium* stupida *superstitione*, ita κατ' ἐξοχὴν tandem obtinuisse *Religionis* titulum, ut *ingredi Monasterium* (si *Diis* placet) *Religionem sit intrare*, & *Monachus* & *Religiosus* ἰσοδυναμοῦντα habeantur: Unde (quod non libenter audiunt) hoc lucrantur *consectarium*, tot esse apud ipsos *Religiones*, quot inveniuntur *Monachorum Ordines*: sed didicit tandem Mundus inter *Aurum* & *Fœnum*, inter ἰδιοθελῆ θρησκείαν & θρησκείαν καθαρὰν & ἀμίαντον, inter *Dei præcepta*, & hominum Commenta distinguere. *Obedientiæ* enim *Religiosæ*, non *Sanctiones humanæ*, sed cœleste *Diploma* constituendum est norma. Atq; hinc didicimus, quod prædicamus, *obediendum* esse *Deo* simpliciter, *Magistratibus* verò aut *Parentibus* aut cæteris *Superioribus*, tantùm in *Domino*. Nec malè hîc *Aquinas* ex *Seneca*: *Servitus in totum hominem cujuscunq; sortis* non *descendit*: tenetur siquidem obedire quispiam, vel quoad *motus* voluntatis *Internos*, vel quoad *externos* tantùm *Actus*. Atq; hi ulteriùs versantur, vel circa *physica* tantùm, *naturam* ipsam necessariò *concomitantia*, vel *Moralia* & *Politica* quæ in se sunt prorsus *Adiaphora*. Si præcipiat *Superior* quod à Deo est *interdictum*, vel *Naturæ tuæ* repugnat, sive *Sustentationi* (ut pergit *Aquinas*) veluti *non comedere*, sive *Propagationi*, ut *Matrimonium* non *contrahere*, possis piè te *subducere*, & cum *Apostolis* liberè profiteri: Obediendum esse potiùs *Deo*, quàm *Hominibus*, & *naturam* æquè omnibus communem mandatis non subjici *Politicis*. At in extremis tantùm *Actibus* in quibus nil *Deo* adversatur, vel *Naturæ*, & *pactum* intervenit, sive *expressum*, sive *tacitum*, inter *superiorem* & subditum, nec *mandatum* extenditur, extra *Mandantis* legitimè collatam Authoritatem; peccat *Inferior*, si *Superiori*, vel *conscientiæ* causa se non submittat, quia Deus hoc expresse præcepit, & *Dii* appellantur *Magistratus*, quoniam residet in illis, & *emicat*, pro ratione *loci* vel *conditionis* aliquis divinitatis *radius*. Sic instructa proculdubio per *Levitas* & *Prophetas*, hæc *turbata* Militum *turba* satiùs duxit in re *licitâ*, licet non *opportunâ*, vel *necessariâ*, simpliciter *obtemperare*, quàm *causari* & *cavillari*, & de *Mandantis Prudentia* aut scopo, scrupulos movere. Vnde factum, ut *nemo manum ad os applicuerit*, sed *religione* obstricti, *abstinuerint* à tam proposito & *invitante* edulio.

10 *Obedientia* igitur emicuit in *Abstinentia*, vidimus quousq; sit *obediendum*; Limites etiam *Abstinentiæ* sunt figendi, ne *virtus* tanti pretii in animi morbum degeneret. *Pythagoreorum* hâc ex parte *scrupulosa placita* non libet discutere, quæ apud *Eusebium* contra *Hieroclem*, *Philostratum* de *Apollonio Tyaneo*, *Jamblicum* de *Mysteriis Ægyptiorum* sunt ubivis obvia. Quid cùm ad *ortum lucis Evangelicæ Elementa* legis *egena* evanuissent, num defuerunt juxta *Apostoli Prophetiam*, inter Christianos, qui in *delectu quodam ciborum*, & *Matrimonii fuga*, nescio quid *Sanctitatis* & *meriti* latere persuaderent? Hoc nomine licet meritò à nostris perstringantur *Romanæ Synagogæ Hypocritæ*: *Continentia* tamen ista vitæ *sobria*, & *prisca frugalitas*, quæ ita indulget *corpori*, ut *adsit* quod sustentet illud commodè, ad *sarcinam* suam *bajulandam*; ita minuit *demensum*, ut amputetur, quod *luxuriat*, atq; *affigat Humo divinam particulam auræ*, ut Poëta modulatur ex *Naturæ dictamine*; non à *Servatore* tantùm & *Apostolis* severè præcipitur, sed in *primæva* successorum *praxi* summo erat in pretio. Enim verò qui expectant seriò *Domini adventum*, & *bonâ fide* credunt *Mundum* hunc tandem *consenescere*, non possunt *sicco pede* aut *oculo* transilire, illud *Servatoris* de evitandis *extremis periculis*: προσέχετε ἑαυτοῖς: Si *alii* vos negligant, si non *retrahant* à præcipitiis, *extrahant* à lustris, *avertant* à corruptelis, si *correptionibus* aut *pœnis* non cohibeant, aut non deterreant, *Tremebunda execrationis religione*; Attendite tamen vobismetipsis (vel ob *Servatoris concionantis* Reverentiam) ne fortè *graventur corda vestra crapulâ*, & *ebrietate*, & *curis hujus mundi*, & *superveniat in vos repentina dies illa*. Hoc repetit & flagranti inculcat *zelo*, qui plus cæteris omnibus laboravit *Apostolus*: *Nox præcessit, dies autem appropinquavit; Abjiciamus igitur opera tenebrarum & induamur habitu, qui luci conveniat*, ὡς ἐν ἡμέρᾳ εὐσχημόνως περιπατήσωμεν: *Christiani simus Peripatetici, & sicut in die decenter ambulemus, non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & lasciviis, non in lite & invidia, sed induamini Domino Jesu Christo, & carnis curam ne habeatis ad explendas cupiditates.* Ultima autem ista *verba* cùm *sustulisset liberum*, & legisset

Apoc. 17.

22. q. 104. *Art.* 5.

1. Tim. 4.

Luc. 21.

Rom. 13.

Confess. l. 8. c. 12. gisset *Augustinus*, cœlesti quadam metamorphosei, è *fluctuante Rhetore* & *distracto Philosopho*, *constantissimus* evasit *Sanctus*. Unde constat, quòd abstinere *corpus à superfluo* hujusmodi *melle*, est *reficere*, & quasi *animare animam*. Jejunus *Servator* aggreditur & fugat *Satanam*; *Jejunanti* & *oranti Cornelio*, apparuit *Angelus Evangelicus*: valdè *esuriebat Petrus*, cùm cœlum ipsi aperiebatur, & in *demisso linteo*, & *mistis animalibus*, revelatum erat illi de *vocatione Gentium Mysterium*. Exemplar demum se præbet *proprii præcepti Doctor Gentium* ὑπωπιάζω μου τὸ σῶμα καὶ δουλαγωγῶ, *contundo corpus meum & in Servitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipse Reprobus efficiar*. Ad tam *salutarem* carnis *Mortificationem* & nostri *Abnegationem*, non patentior dirigit *semita*, quàm à *licitis* in se *abstinere*, non ex *cæco* quodam & *tremulo* superstitionis *horrore*, sed sicut *solenni* hoc *tempore* fit *Quadragesimali*, ut debitam *propter Deum*, *potestatibus superioribus* exhibeamus *obedientiam*. Talem autem inveniri inter *castra*, & in *Conventibus Togatorum* desiderari, arguere videtur in hoc *vertiginoso* hujus mundi *delirio*, inversum esse præposterè præstantissimarum rerum ordinem. Asserit *Lyra*, injustè hoc fuisse à *Saulo* impositum *Abstinendi* gravamen, ideoq; non *peccassent* ii, qui illud *neglexissent*, & *comedissent*. Sed multis hoc refellit *Abulensis*, & ostendit, nec *Saulo* defuisse *Authoritatem* ad *imperandum*, nec *mandatum* fuisse prorsus *illicitum*, unde à *Militibus* violari non potuit absq; *contemptus* reatu.

Mat. 3. Act. 10. Ibid. 1. Cor. 9. In Locum. Ibid.

11. In *proverbium* illud jamdudum abiit:

Nulla fides pietasq; viris, qui castra sequuntur;

Ergò cùm *Milites* adeò *obsequentes*, *milites* tam *abstemios*, *milites* habeamus tam *devotos*, ut quas *furor* cruentasset *manus* in hostium strage, *conscientia* retraheret à necessariâ corporis *refectione*; Quid fiet de nobis (*Academici*) qui omnia *divina* & *humana* susq; deq; habemus, quo licentiùs *genio* indulgeamus? & nullum per *Abstinentiam* interveniat inter *manum* & *os* divortium: Novit *Dominus*, qui colligit *lachrymas* suorum in *utere suo*, quam reluctante *affectu*, & vix *siccis oculis*, vomicam *meæ Matris charissimæ* attingo: sed quid faciendum? Nobis *tacentibus*, vel *incrustantibus*, vox *Gregum* & *Armentorum* (ut postea in præda *Amalechitarum*) prævaricationem *reboat*. Et quid non auderet, vel quò non progrederetur impietas *excors*, & *effrons* impudentia, si nihil interveniat, quod retundat? Clamat ad *Colossenses Apostolus*, *Filii obedite parentibus* per omnia; Restringit *Bellarminus*, verum est, *dum parvuli sunt*, de *Monachis* Lib. 2. & Cap. 21. *Provectiores* igitur pace *Cardinalis*, pro *Ætatis* aut *ordinis* privilegio absq; sumptibus *Corban Pharisaicæ* seipsos eximant: ut *Parvuli* ferè jam *restent* soli, qui ad *Matris* nutum *obediunt* & *abstinent*. Parvulum suum *duodecennalem*, invenit tandem, cum quæsiviſſet per triduum *Beata Virgo*: Sed quo in loco? Num *vagantem* per *plateas* otiosè, aut sub tecto, *majori cum damno* bonas horas malè collocantem? Nihil profectò minùs; sed in *Templo*, in *Patris sacrario*, in *Doctorum medio*, audientem ipsos & interrogantem: Verùm si quamplurimos è nostris *Parentes* diutiùs *hoc in loco* investigarent, ubi quæso invenirent? Cùm legimus apud *Cassianum*, & *Socratem* de *Cheremonis* dorso, *jugi jejunio*, *oratione*, & *vigiliis* incurvato. De *Piore*, qui *nunquam sedebat ad mensam*, sed obambulans comedebat, ne jacturam temporis faceret (ut ille æstimavit) in *opere superfluo*. De *Macario*, qui seriò protestabatur, se nunquam *edidisse*, *bibisse* aut *dormivisse* ad satietatem. De *Pambone*, qui flevit ad conspectum *cerussatæ* & *calamistratæ* meretricis, quia tam *pulchra esca* apponeretur *Diabolo*, quæ impensiùs studuisset Hominibus placere, quàm ille unquam Deo: Non possumus non reputare, aut illos alia *scalâ* cœlum ascendisse, aut nos invenisse *compendiosiorem*. Quid? *Julianus Apostata* perpetuum profitetur se *Bellum ventri indicere*, & nos *Helluabimur* & *pergræcabimur*, ad *loci*, in quo vivimus, & totius *professionis* opprobrium? Sed caperata ista forsan *Priscorum* Austeritas, *molliori* huic *sæculo* non convenit, in quo *Christianæ libertatis doctrina* tam planè enotuit, ut de *scandalis datis* aut *acceptis* locus in *systemate* nostro *Theologico* locum vix occupet. Citeriora igitur dispiciamus. Legimus de *Luthero*, illum nonnunquam adeò fuisse abreptum, *Evangelii* propagandi, & *Pseudoprophetas* retundendi *zelo*, ut per aliquot dies integros nocteq; continuatas, *cibum* vix cæperit. Quàm celebris est illa de *Calvino* apud *Bezam* in ipsius vita *Narratio*? Qui suadentibus vehementer amicis, ne tanto cum *salutis dispendio*, assiduus & accubuus *chartis* impalleſceret: Quid? *vultis* (respondet) ut *Dominus veniens me otiosum inveniat* Quàm prætiosa fuerit *Zachariæ Ursino* Temporis jactura, ostendit *Tricolon* foribus *Musæi* ipsius inscriptum

C. 3. 20. Mat. 15. Collat. 11. c. 4 Hist. Eccles. l. 4. c. 18.

ſcriptum: *Amice, quiſquis huc venis,*
Aut agito paucis, aut abi;
Aut me laborantem adjuva.

In vitâ.

De *Juellis*, *Whitakeris*, *Raynoldis*, *Abbotiis* noſtris, & cæteris ejuſdem *claſſis*, ſimile ſit judicium. Quando *Bibliothecam publicam* intratis (*Baccalaurei*) & percurritis tantùm *Librorum titulos*, num exiſtimatis tot *operoſa* & *craſſa volumina*, unius aliquoties opera elucubrata, *diſſidii*, *luxuriæ*, aut petulantiæ fuiſſe *vitulamina*? *Milites* ſi in *melle* (ut *muſcæ* in unguento) hîc hæſiſſent, ſubduxiſſent interim ſe *hoſtes* (ut notat *Abulenſis*) ab illorum impetu, nec tam deprædicanda fuiſſet victoria. Nunc verò *Abſtinentia* illorum celebrem fecit *obedientiam*, omni ſæculo deprædicandam; ſine quâ nil *Heroici* aut *præclari* quiſpiam aut *perficit*, aut *aggreditur*. Syſtema *Moralis Philoſophiæ* ad hæc *duo* revocatur capita: Ἀνέχου καὶ ἀπέχου, *ſuſtine* & *abſtine*; Et quid vos (jam primò *Baccalaureos*) egregios in poſterum *Magiſtros* aut *Doctores* in diverſis dabit facultatibus, niſi *Abſtinentia* à *Ludicris*, & *deteſtandis* hujus ævi *Lenociniis*, una cum *religioſa* & *modeſta* erga *Præpoſitos* veſtros *obedientia*? Non applicetur interim *manus ori*, ut *liquidum* aut *fumidum* nimium infundat; non vagetur *oculus* aut *animus* inter *ſtillantes* voluptatum *favos*, ne citiùs, quàm par ſit *Manus* ad *os applicetur*. *In Pſ. 110.* γαστὶ χρατῶν, φαγεδαίνα κατῶν, νῶτον ἀπορῥώξ, *Chriſoſtomi* ſtatuæ ſunt *Mercuriales*, ad *pietatis*, *ſcientiæ*, & non *fucatæ laudis* palatia: Sed quid populo huic impoſuit tam *ſeveras leges*? Et præter *Tumultuantium* morem coëgit in *ordinem*? Indicat, quod *reſiduum* eſt Textus: Timebat enim *Populus juramentum*, de quo aliquid ſtrictim eſt *concludendum*.

12. Inter plurimas *Juramenti* definitiones, quæ occurrunt paſſim apud plurimos, cæteris hæc videtur *accuratior* & *contractior*: *Juramentum eſt aſſeveratio religioſa de re poſſibili & licita, cum veri Dei invocatione facta, quâ petimus, ut ſit teſtis dictorum, & fallentes puniat.* Veteres *Juriſconſulti* notant neſcio quid diſcriminis inter *Juramentum* & *Jusjurandum*, ac ſi *juramentum* in re quavis *extra judicium*, *Jusjurandum* in *judicio* ſemper interveniret: ſed *Recentiores* negligunt hunc *Criticiſmum*, nec *locum* habet in præſenti negotio. In *hoc* igitur vel *illo*, ſive *juramento*, ſive *jurejurando*, tres obſervandi ſunt *Actus* 1. ἔδνα quâ aliquid *eſſe* vel *non eſſe*, *factum* vel *non factum*, *futurum*, vel *non futurum* aſſerimus. Secundus eſt, ἐπιμαρτυρία, hoc eſt *Nominis divini invocatio*, quòd *bonâ fide* agimus, & *fallere nolumus*. Tertius eſt κατάρα, *ſui ipſius execratio*, & *divina vindictæ evocatio*, ſi *fallamus*. Hinc Apoſtolus *controverſiarum omnium* πέρας *ſit* βεβαίωσις, *terminum* ad *confirmationem juramentum* eſſe aſſerit: *Heb. 6. 16.* Quòd & *Ariſtoteles veſter* Τιμιώτατον *Honorabiliſſimum* 1. *Metaph.* & 3. cap. deprædicat. Eſt autem duplex: *Aſſertorium*, & *Promiſſorium*. *Aſſertorium* præcipuè fidem facit de re *præterita* aut *præſenti*, ut aliquid *credatur*. Sic illud *Apoſtoli*: *Teſtis eſt mihi Deus, quantoperè expetam vos omnes in viſceribus Jeſu Chriſti.* *Promiſſorium* proſpicit *Futura*, ubi ad *faciendum*, vel *omittendum* aliquid, *noſmetipſos* aſtringimus, Cujuſmodi eſt *furioſum* illud *Saulis*, quod in Textu ſequitur: *Sic faciat mihi Deus, & addat, quod morte morieris Jonathan. Quanquam non diffiteor* nonnullos ex *comminatoriis* hujuſmodi & *execratoriis*, *tertiam Juramentorum claſſem* conſtituere: Sed abundant nimium *juramenta* (ut mihi videtur) in *prædictis duobus*, & qui *comminatur*, aut *execratur*, ſi non *facere*, fieri tamen aliquid promittit. In *Juramento* autem *aſſertorio* requiritur tantùm *una veritas*, quæ *conſona* ſit rei, quæ *aſſeritur*, vel *negatur*. In *promiſſorio* attenditur *duplex*, una *præſens*, quòd *habeas animum* obſequendi: Altera *futura*, quòd *præſtabis*, cùm *res exigit*, quod *promiſiſti*. Unde in *Serm. 26.* *Aſſertorio* verè; In *promiſſorio* juras fideliter, ut acutè *Stobæus*, & utriuſq; *Tres* hæ debent eſſe comites: *Judicium*, *veritas* & *Juſtitia*, Jer. 4. *Judicium*, ne *incautum*; *veritas*, ne *mendax*; & *juſtitia*, ne iniquum aut *illicitum* proferatur *Juramentum*. *Lombard.* 3. ſent diſt. 39. & 2. 2. *Aquin.* q. 89. Art. 3.

13. Prælibanda fuerunt hæc neceſſariò (*Baccalaurei*) ut dilucidiùs conſtaret, quale fuerit *Juramentum*, quod *populus* hîc *timebat*. *Timebat Populus juramentum*, ſed cujus? Num *proprium* à ſingulis ſuſceptum? Repugnat *Textus v.* 24. *Adjuraverat Saul populum*: *Dicens, Maledictus vir, qui comederit panem uſq; ad veſperam. v.* 27. *Jonathas non audierat, quando adjuraverat ejus Pater populum* & v. 28. reſpondet unus de *populo*, *Jonathæ*: *Jurejurando obſtrinxit Pater Tuus Populum*, Ergò *Saulis* erat hoc *juramentum* ſive *Adjuratio* non *populi*. Scrupulos hîc excitant *Scholaſtici* & *Caſuiſtæ*. An *adjurare liceat alios* & *quousq;*? Et conſentiunt hoc poſſe fieri, ſive à *ſuperioribus imperando*,

Aq. 2. q. 90.

rando, aut *minando* in rebus *licitis* & *honeſtis*, quæ non excedunt ipſorum *juriſdictionem*, ſive à Paribus, aut Inferioribus, ſuadendo aut obſecrando? Exempla ſuntobvia: *Aſa* & *Joſias*, *Eſra* & *Nehemias*, adjurant omnes *ſubditos*, ut fideliter Deo inſervirent. *Paulus* obſecrat *Romanos*, per miſerationes Dei, & obteſtatur *Timotheum etiam ad ſq; etiam in conſpectu Dei*, & Domini Jeſu Chriſti, ut quod ſuum eſſet munus *fideliter* obirent. Sed in re non expectata, & non neceſſaria, hoc fecit *Saul*; & tamen hîc quàm promtam obſervamus multitudinis obedientiam, & quàm ſubmiſſam erga Superiorem Reverentiam. Attendite autem quid *Ego* inde Colligo (*Baccalaurei*) Tanti *Tales* fecerant in re tam controverſâ & difficili Alterius Juramentum, & noſtri proprij in rebus *licitis*, & commodo noſtro, inſervientibus à nobis ſponte *expetiti* & *ſuſcepti*, non Religioſior habenda eſſet *Ratio*? ut cætera, quæ hîc ſunt obvia ſeponam, & Colligam illud, quod nos Academicos præcipuè afficiat: *Juramento* nos obſtringimur (ut nôſtis omnes) ad obſervanda *Statuta*, *Privilegia* & *conſuitudines hujus Univerſitatis*, ad Pacem conſervandam, Delinquentes indicandum, & ſic in *cæteris*. Paululùm hîc immoremur, ut diſpiciamus: *An qui hoc non præſtat*, quod *publico juramento* tam *ſolennitèr* promittit, *Reus ſit perjurij*? Nimium eſſet *Theologorum*, *Juriſtarum*, & *Caſuiſtarum* minutias hîc coacervare. Conſentiunt omnes, *Statuta* iſta, quibus obtemperare tenemur eſſe in *duplici diſcrimine*; *Quædam abſolutè* proponuntur, alia ſub conditione pœnæ annexæ. Priora qui violat (præſertim ubi *expreſſa* perjurij fit mentio) Perjurij crimen neceſſariò incurrit: In poſterioribus liber es ſi pœnam ſubeas: qnia tale juramentum obligat tantùm ad legem, *Lex* ad Obedientiam aut Pœnam: Pœnam verò debitam *inflictam* ſi *ſubterfugias*, non invenies aliquem inter *Theologos* aut *Juriſconſultos*, Advocatum, qui Excuſabit à perjurio. Diſtinguit *Perkinſius* noſter in *Conſcientiæ caſibus* inter ſtatuta Academica, quæ totam corporis compagem, diſtrahunt, & cætera quæ *decori* tantùm inſerviunt & *ordini*: Et priora ſub *perjurij reatu* obſervanda eſſe concludit: *Poſteriora* neutiquam, niſi pœna inflicta, vel ùt exprimitur, vel ubi non eſt expreſſa, pro *Magiſtratus prudentia* diverſimodè injungitur, præfractè rejiciatur. Sanè non rejicienda eſt Doctiſſimi & punctiſſimi viri mollior hæc ſententia: Ego tamen mallem, ſi *abſolutè juro*, verbi gratia, Me libros in *publica Bibliotheca non violaturum*, aut in cæteris ejuſdem momenti, abſq; *mulctæ* alicujus mentione: ſi violarem ſub quovis ſcopo aut prætextu; Mallem (inquam) Deum ſupplex adire, ut me abſolvat à perjurio, quàm ad miſerrima deflectere ſubterfugia, quæ apud viros Cordatos non excuſent, quod in *cæteris* ejuſdem ponderis faciendum ſuadeo.

L. 2. c. 13.

14. Iſta autem de *juramentis* & *perjurio*, cùm tam *expoſita* ſit *doctrina*, quid de nobis fiet (Academici) qui *tantæ Religionis ſacramentum* tam neglectim & licentèr antehâc habuimus; & tam perfide pergimus profanare? Adeò ut quod *Lyſander* olim effutivit de *fide Ethnicorum* quorundam Ambulatoria, pueros *Aſtragalis*, Reges Juramentis ludere, Chriſtianis quam plurimis non minùs conveniat in hujus ſæculi σκληροκαρδία, in quo tam *rarò* & *leviter* angit perjurij aut juramenti timor, ut vix *inter loquendum notemus*. Heu *pietas*, heu *priſca fides*! *Sponte*, *ſupplex* & *reverentèr* componit ſe ſtudioſus, *loco*, & *modo* ſolenni, ut gradu Academico ornetur: Tactis *Sacro-ſanctis Dei Evangelijs* Juramento ſe obſtringit promiſſorio, ad hoc vel illud licitum, & *honeſtum*, & *conditioni*, in qua verſatur ſummè neceſſarium, *præſtandum*: Diſcedit animo *præſtandi* obfirmato; Intervenit poſtea occaſio: *obliviſcitur*, *inſanit*, *diſtinguit*, *diſpenſat*, & numero nonnunquam eodem furore debaccantium animatus, captat (proh ſcelus!) *plauſum ex perjurio*. Cùm talis candeſcat *lepra* in *fronte Matris*, ſic ut *nullâ* obtegi poſſit *larvâ*, nullo lixivio eluatur: *Audite cœli* & *Auribus percipe Terra*! Miſeri nos ſi iſta *ſerò*, & *tremuli* non penſitemus, miſeriores ſi pergamus! Ideone introduxit nos Dominus in hujus *Academiæ ſalium*, *melle* & *lacte fluentem*, ut *pervicaciâ luxuriâ* & *ſonticâ quâdam petulantiâ* fœdus cum ipſo ſancitum, tam impudentèr violaremus? Idcò *Teſtem* illum & *Vindicem* invocamus, ut *teſtis* ſit tantum & *vindex* non excuſandi perjurii? Ideò ab *Epidemica* contagionis laniena, tam *præſenti miſerecordiâ* (ſicut *Titiones* ab igne) nos eripuit, ut hanc *ſacerrimam* & *ſubleſtam gratiam* ipſius longanimitati rependeremus? *Profane*, quomodo attolles caput ad *Iudicis tui Tribunal*, quem tam indignis modis laceſſiveris? Si nunquam ſtatueras obſervare, cur *juraſti*? Si ſponte *juraveris* quare *bonâ fide*, non præſtas? Date veniam, ſerò agenti in *caſu tantæ Religionis*, ſi ſemen verbi vivi non prorſus in nobis

bis fit *ſuffocatum*, ſi *conſcientiæ* non penitùs *occalluerint*, & frons de rebus non *perierit*, hæc nos pungeret, hæc *præcordia* lacerat *meditatio*: Deum invocavi Teſtem, & poſtulavi ſolenniter *Vindicem*, niſi hoc quod *juramento* ſum pollicitus, *præſtem* aut *declinem*: Magiſtratus aut Inſpectores ſi *abſint*, ſi *negligant*, ſi ſupinè *indulgeant*, & *debitas pœnas* non exigant: Ille tamen *Omnipræſens* obſervat omnes *meas ſemitas*, expendit *dicta*, *cogitata* librat & quoties *Sacramenti* immemor, ipſum quaſi aſciſco in *perfidiæ meæ* conſortium, aut tanquam *neſcium*, aut *oblitum*, aut *dormientem* ſentio: Sed num reputabit illum *inſontem*, qui nomen ipſius *gratis* ſic in *vanum ſumpſerit*? O *Pater omnium Miſericordiarum*, ſi Tu *perjuria* hæc noſtra *Academica vindicè* aſpiceres *oculo*, *Domine quis ſuſtinebit*? Atq; haud ſcio an inter cæteros huius loci *morbos*, purulentius crudeſcat *ulcus* in ipſius opprobrium, quàm *Iuriſiurandi* (de quo loquor) *contemptus* aut *neglectus*. Dolemus *Conventus noſtros* haud ita pridem fuiſſe Diſſipatos? Diſſipavit præcipuè (ſicut mihi perſuadeo) neglecta juramenti *religio*: Querimur *Tumultus* vice *modeſtiæ*, *obedientiæ*, *induſtriæ & gratiarum actionis*, etiamnum invaleſcere? Quid reprimeret, niſi *juramenti* Timor? Laboramus præter ſolitum graviſſimâ apud *Æmulos* infamiâ? *Anathema eſt in medio Tui O Iſrael, non poteris ſtare coram hoſtibus, niſi timeat populus etiam Tuus juramentum*. O ſi *Candor* eſſet *Agninus* (*Baccalaurei*) adhuc Ioſ. 7.
non *ſordibis* iſtis commaculatus, modeſtè, piè, & ſobriè non metu, ſed *conſcientiæ cauſâ* ad altiora contenderet, ſi a commeſſationibus, *rixis*, *contumaciis*, & cæteris Maleferiatorum *Ardelionum humoribus* & *Tinnotibus*, religioſi vos abſtineret juramenti Timor? *Medulla Tritici*, & *melle* de *Petra*, ſaturaret *vos Dominus*, in iſto, quod jam Pſ. 92.
ingreſſi eſtis *curriculo*: Inſtar *palmæ* florebitis, & quaſi *Cedrus Libani Ramos* diffundetis: fluet aqua de *ſitula veſtra* ad *Eccleſiæ*, *Reipublicæ*, & *indulgentiſſimæ* Matris *Academiæ* dulciſſimum Refrigerium; & *fructificabitis* adhuc in *ſenectute*, nec *reſilietis* ad Hoſtium conſpectum in porta. Unicum addo, & finio. *Rubus* dixit aliquando *Hortulano*, ſi mihi eſſet quiſpiam, qui *curam mei* gereret, *plantaret*, *irrigaret*, & *coleret* (quod effusè fit cæteris *plantis & Arboribus*) *Reges* profectò me *deſiderarent* & aſpicerent florem meum & fructum: Unde accepit cum *Hortulanus plantavitq;* in *horti* medio, in *optimo Terræ*, irrigavitq; eum. Sed quid inde fit? invaluerunt præter *ſpem* & *votum* ipſius *ſpinæ*, *germina & rami* ſuper omnes *Arbores*, quæ circum ipſum erant, & *operierunt folia* ejus Terram, & impletus eſt *hortus* ab eo, & *multitudine ſpinarum*, & nemo potuit *tutò* ad ipſum accedere. Hactenus *Lucmannus* Arabicè *Mythologus*, ſimile quiddam de *Rhamno Cedris Libani*, minitanti incendium, ſuppeditat *Textus Sacer Judicum* 9. Ingenioſos alloquor; Non neceſſe eſt igitur, ut prolixiùs explicem. Adducti eſtis vos (*Baccalaurei*) in *ſaltum melleum*; deterreat vos (oro) juramentum; ne *manus ori* illicitè *applicetur*. Plantaverunt vos *ſolliciti Hortulani* in medio quaſi *Paradiſi*, & parati ſunt indies *rigare*, unde indies à *Deo* expectetur Incrementum. Ne in *Rubos* (vos rogo) aut *Rhamnos* degeneretis, qui aut *ſpinis* lacerabunt ipſos *Hortulanos*, aut in *Arbores* juxta conſitas, *faces* immittent. Ita loco *patrum* vos emergetis *Filij*, ad nominis *Dei gloriam*, *Eccleſiæ & Reipublicæ* emolumentum, *Academiæ*, *Parentum & Amicorum* Exoptatiſſimum ſolatium: Quod præſtet *Pater* in *Filio* per *Spiritum Sanctum*, Cui *Individuæ Trinitati* ſit *Regnum*, *potentia & gloria* in *ſecula ſeculorum*. AMEN.

FINIS.

CONCIO VI^ta.

Habita ad

ARTIVM BACCALAVREOS

IN DIE CINERVM,

De *Scala viſibilium ad inviſibilia.*

ROM. I. 20.

Inviſibilia enim ipſius, à Creatione Mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoq; ejus virtus, & Divinitas, ita ut ſint inexcuſabiles.

PRæter tòt diſpoſita in *Bibliothecis* noſtris, ſive publicis, ſive privatis, *volumina*; Tres præcipuè ſunt libri (*Patres* & *Fratres* in Chriſto dilectiſſimi) ab omnibus, cujuſcunq; gradus aut conditionis, perpetuò in oculis habendi, Liber ſcilicet *Naturæ*, Liber *Creaturæ*, & Liber *Scripturæ*. Iſti autem ita ſe invicem reſpiciunt, ut prior ad ſequentem facilem parat aditum; & ait *Naturæ* nobis inſita, per uſitatam *Creaturam* inſtituatur, & *inſtitutio* iſta in quibus deficit, per *Scripturam* demum fæliciſſime perficiatur. Unde Apoſtolus hic noſter *Doctor Gentium*, gentium dominos *Romanos* ita manuducit ad *Evangelium*, ut præpoſterè illis non aperit Scripturæ *Catechiſmum*, priuſquam ex *Naturæ* & *Creaturæ* pagina, promptiores illos reddidiſſet. A *notioribus* igitur ad *ignotiora* prudentiſſimè progreditur, & *lacte* alit ad ſolidiorem cibum, juxta *ſummi præceptoris* methodum, *Multa habeo vobis* dicere, ſed *nunc* non *poteſtis portare*. Perinde ac ſi hoc ſenſu illos compellaſſet, Exiſtimatis forſan (vos *Romani*) *Juſtificationem* quam prædicamus Evangelicam, per ſolam *fidem*; aut Judicantis *æquitati* aut judicandorum *conditioni*, aut judicii *ſynceritati*, parum convenire, ubi excluditur operantis

1. Cor. 3. 2. Jo. 16. 12.

rantis *induſtria*, & intervenit tantum in Mediatorem *fiducia*; patitur innocuus *fidejuſſor*, ut *reus* condemnandus, gratis abſolvatur. Atqui ſi rationes libratiùs ſubducetis, conſtabit liquidò vel ex veſtris principiis, aut ex *tali mediatione* ſolùm, aut ex *medio nullo* alio, vel liberationem à miſeria, vel reconciliationem cum irritato judice, aut gratuitæ ſalutis gloriam *Judæis*, aut vobis *Gentibus* eſſe expectandam. Atq; ut de *Judæis* deinceps alias ſeorſim agam, vobiſcum (qui *Philoſophii* auditis) ſic argumentor. Patet (ut in confeſſo eſt apud omnes) *ira Dei* è Cælo adverſus omnem *impietatem*, & hominum *injuſtitiam*, veritatem ipſius injuſtò detinentium. *Liberatio* igitur & *reconciliatio*, vel à juſtitia *propria* eſt quærenda, vel ab *aliena* pro vobis præſtita. Juſtitiam autem *propriam* quis audet è vobis pro tribunali Dei ἀπροσωπόληπτου aſſererе? vel confugiendum igitur eſt ad ſalutare *fidejuſſoris* λόγου; aut ultimus *quadrans* in carcere æterno exigetur. Hic autem cùm regerat *Philoſophus*, *veritatem* illam *Dei*, *Judæis* tantum, non *Gentibus* innotuiſſe, ideoq; non potuiſſe (ſi maximè voluiſſent *Gentes* ut objicit *Apoſtolus*) quaſi captivam veritatem illam detinere; Diluit hoc ſtatim *Paulus* ex *Naturæ* libro, qui notiones *ſpeculativas* & *practicas* de *Deo*, de prima *cauſa*, de primo *motore*, de ſupremo *Demiurgo*, de *bono* & *malo*, de *turpi* & *honeſto* ex intimo rationis receſſu ad litem hanc conteſtandam ſuppeditat. Recipit nihilominus ſe Philoſophus ad ſecundum ſubterfugium, nempe *Inviſibilia* iſta Dei, captum humanum longe ſuperare, quomodo igitur non eſt ille excuſandus, qui ignorat illud quod impoſſibile eſt ut apprehendat? Occurrit *Apoſtolus* ex *Creaturæ* Libro *Ethnicis* etiam authentico, è cujus foliis patentiſſimis colligat *ratio*, quod *Atheis* omnibus prævaricantibus os obſtrueret, *Inviſibilia* enim (inquit) *ipſius à creatione Mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciantur, æterna videlicet* ejus, tum *potentia*, tum *divinitas*, ad hoc ut ſint *inexcuſabiles*. Math.

2. In verbis obſerventur hæc tria { 1. *Doctrina*. 2. *Docendi Methodus*, & 3. *Uſus*.

Doctrina eſt *Philoſophica-Theologica*, de *Inviſibilibus*, de *potentia Dei*, & *Divinitate*; methodus *Logica* eſt, non *deſcendens* (ut vulgò fit, vel ſaltem fieri debet) ab *univerſalibus* ad *contractiora*, qua inventa tradantur. Sed *Aſcendens* à ſenſibilibus ad inviſibilia, quâ ignota *inveniantur*. Uſus demum eſt *Ethico-politicus*, quo & ſuam ſortem, & judicis proceſſum æquiſſimum, unuſquiſq; apertè intueatur. Quid *Doctrina* ſine methodo? quid *Methodus*, ſine *uſu*? *Complicata* aliquid præſtant, *diſtracta* in *Chimæras* evaneſcunt. Impetret igitur tantum à candore veſtro (ingenui *Baccalaurei*) non *affectata* quidem mea, ſed *innata* ſimplicitas; ut dum *iſta* ſine emendicatis, & vermiculatis *Rhetorum* Schematibus & ambuſtis verborum calamiſtris, inconcinniùs percurro more meo, *Peripateticos* vos potius, quàm *Cynicos*, aut *Ariſtarchos* inveniam, accinctiores ad mecum ambulandum, quàm ad mordendum & unguibus utendum. Ita manuducit unà nos *Apoſtolus* ad Dei *Inviſibilia*, de quibus caligante oculorum noſtrorum acie, in veſtibulo circumſpectiùs eſt deſpiciendum.

3. *Inviſibilia enim ipſius*] Doctrina (ut videtis) eſt de *Inviſibilibus*, quæ animantibus ratione præditis ſolum competat. Subjecta enim *oculis* & *auribus*, & cæteris ſenſibus *Bruta* ſatis capiunt, eoq; præcipue ab hominibus ſecernuntur, quia ad *inviſibilia* hujuſmodi non poſſunt aſpirare. *Inviſibilia* autem hujuſmodi (ut diſtinctius cuncta pateant) ſunt vel *Dei*, vel *Hominum*. Dei inviſibilia concipiantur, vel *in eo* eſſe, vel *ab eo* emanare. *Hominum* cenſeantur ἀόρατα, *Anima* cum omnibus ipſius facultatibus, notiones *Deuteronomatica*, *tranſcendentia*, vel cujuſcunq; generis in Logicis, Phyſicis, Metaphyſicis, Mathematicis *Abſtracta*, vobis familiaria, quin & *infra*; Principia iſta Ariſtotelica, *Materia*, *Forma*, & *Privatio*: *ſupra*, orbes iſti *Chryſtallini* & primum *Mobile* ſtellas conſpicuas (ut putatur) circumrotantes, ſenſus omnes effugiunt, & proinde ad *Inviſibilium* claſſem merito referantur. Sed de iſtis non Philoſophatur hic *Apoſtolus*. ἀόρατα quæ Textus prædicat ſunt αὐτοῦ, Inviſibilia ipſius *Dei*. *Inviſibilia* autem ſignanter dicit (ut notat *Theodoretus*) in plurali numero, quia creatio, providentia, & juſta ejus in omnibus *ſententia*, unà cum multiplici in rebus adminiſtrandis ratione hic ingeruntur. *Inviſibilia* hic vocat Angelos

Angelos (addit *Oecumenius*) omnemq; cæleſtem exercitum. *Facta* vero ea quæ ſunt *viſibilia*, puta Cælum, terram, mare. Sed iſta ab *Origine* prius excogitata, ut minus appoſita rejicit *Theophylactus*, rejiciunt omnes pœne *Recentiores*. Gorrano *inviſibilia* Dei ſunt *Deus ipſe* inviſibilis, quod non minus videtur coactum. Omnia iſta (ut conſentiunt omnes) rectè inviſibilia dicantur, ſed ea *Inviſibilia* iſta non ſunt, de quibus hic loquitur noſter *Philoſophus*, patet ex textu. Inviſibilia (inquit) ſed addit, *Æterna* ipſius tum *potentia*, tum *Divinitas*. *Divinitas* igitur, & Dei *potentia* ſunt ea tantum *inviſibilia* ſub quibus cætera omnia comprehendit Apoſtolus. Objectum ergo generale Studiorum noſtrorum ſunt Dei *Inviſibilia*, quæ ſpeciatim referuntur ad ejuſdem *potentiam* & *Divinitatem*. Deum *nemo vidit* unquam Io. 1. non videat illum *homo* & *vivat*. Exod. 33. *Poſteriora* tantum ipſius vidit *Moſes* non faciem, ib. 23. condidit quidem tam *inviſibilia* quam *viſibilia*, Coloſ. 1. 16. non ex inviſibilibus viſibilia, ſed ex nihilo. Heb. 11. 3. quod eſt contra veſtrum *Ariſtotelem*. Eoq; fine ut ex *viſibilibus* præcipue, de *Inviſibilibus* fides noſtra corroboretur. ib. v. 27.

4. Videtis (*Baccalaurei*) Inviſibilia eſſe ſcopum illum ad quem collimare debent noſtra omnia molimina, & conatus. Sed quotuſquiſq; interim à nobis eſt qui perpendet iſta ut oportet, & non ad ſenſus allicia, non dico contra fidem, (eouſq; in noſtro hoc diſcurſu non aſcendimus) ſed contra rationis *ſcientiam*, reluctante conſcientia, contra ipſorum Ethnicorum *Ethica*, illiberaliter ſeipſum dimittit? Concupiſcentia *carnis*, concupiſcentia *oculorum* & faſtus vitæ, incantantes 1. Ioh. 2. 16. iſtæ ſunt *Sirenes* quæ nos ab inviſibilibus iſtis (de quibus hic loquitur Apoſtolus) videntes, & volentes in naufragos hujus mundi nos abripiunt ſcopulos. Nimium profecto ſumus nos omnes *Thomiſtæ* Jo. 20. niſi *videro*, niſi digitum *immiſero*, niſi obverſetur ſenſibus, ut palpem & amplexibus teneam, præſens & titillans commodum; *Inviſibilium* iſta ſpes, & prædicatio parum afficiet. At quia non vides animam tuam, aut cujuſq; alterius, dubitabis te eſſe animatum? aut quia turbantem non conſpexerunt *Angelum*, aquam *Betheſdæ*, negarent *Judæi* piſcinam motam fuiſſe vel turbatam? *Equo* profectò & *Mulo* illum ego poſtponerem, qui non ulterius ſapit quàm videt, aut palpat. Iſagoge *Porphyriana* in veſtibulo noſtræ inſtitutionis, ſaniora multò ſuggerit, *Univerſalia* ſcilicet non *corporea* eſſe ſed *incorporea*, non ſenſibus *obvia*, ſed à rebus *ſingularibus* avulſa. Abſtrahunt (ut noſtis) *Phyſica* & omnes artes à *materia ſenſibili*, & *individuali*, non cogitant *Mathematici* de ſubjecto hujus vel illius *Trianguli*, aut *Quadrati*, an *ferreum* ſit, vel *ligneum*, ſed cujus ſit dimenſionis. vix deſcendit *Metaphyſicus* infra tranſcendentia. Ita ablactat nos quaſi à cunis tota *Encyclopædia*, ut ab *inviſibilibus* iſtis trivialibus, ad ἄϋλα Dei ſublimiora adaptaremur. Quot de *Materia*, de *Privatione*, de *Formis* evolviſtis vos (*Baccalaurei*) moleſtiſſima volumina? at *Materiam*, *formam*, aut *privationem* quis è vobis unquam conſpexerit? Mitto reliqua infinita ad *Inviſibilium* claſſem referenda, guſtum ſit ſatis præbuiſſe. Sed Inviſibilia iſta *noſtra* ſunt; *Dei* autem Inviſibilia, hic urget tantum *Apoſtolus* quæ cujuſmodi ſunt in *ſpecie*, ex Textu eſt diſcendum. Sunt autem

Δεῖκνυσι αὐτῶν ἀνάγκης ἐν δυσὶ τρόποις.

5. *Æterna* ejus *virtus* & *Divinitas*, de quibus etiam ſeorſim aliquid eſt adjiciendum. *Patrum* aliquis (verba ſunt *Theophylacti*) ex hiſce verbis *Trinitatem* conatur elicere. Probare hoc videtur *Gorranus*, *Abaielardus* fidenter aſſerit. Sed ſatis eſt his opponere conſtantem iſtam *Aquinatis* regulam, cum quis ad *probandam fidem Chriſtianam* inducit *rationes* non *cogentes*, cadit in irriſionem *infidelium*, credunt enim quod ejuſmodi rationibus innitimur, & propter eas credimus. Part. 1, q. 32. art. 1. *Trinitas* autem hic non inſinuatur, ſed nota quædam attributa. *Attributa* autem ſunt vel *abſoluta* & incommunicabilia, ut *Æternitas*, *Immenſitas*, *Simplicitas*, *Immutabilitas*, *Independentia*, & ſi quæ ſunt alia infinitæ ejuſdem perfectionis eſſentialis, quæ Deo quaſi *à priori* competunt; vel *reſpectiva*, ut *Omnipræſentia*, *Omnipotentia*, *Omniſcientia*, *Juſtitia*, *Gratia*, *Miſericordia*, *Bonitas*, *Veritas*, & *Liberalitas* quæ Creaturas quaſi à poſteriori reſpiciunt. de hiſce vero tam è *priſcis* quàm *recentioribus* nonnullis, dum audactèr nimis & curioſe libuit quibuſdam *Philoſophari*, ex præcipiti *rationis* ductu, abſq; Scripturæ Canone; Hæreticis & licenter *ſciolis* præbuerunt anſam, inperveſtigando hæc fidei myſteria, per *Scepticam* ſuam prophetandi *libertatem*, *Sceptica* prorſus reddere. Quis enim de *Ideis*, *Proceſſionibus*, *Emanationibus*, *Notionibus*,

bus, relationibus proprijs & appropriatis, laſcivientem dicam an prophanam probaverit Scholaſticorum *Matiologiam*? *Aquinatem* inter iſtos modeſtiſſimum, urinantem in iſtis vorticibus abſq; certa *bolide*, quis aliàs occupatum utiliùs non optaverit? Ex *Scotiſtis Nicholaus* de *Orbellis* in tractatu quodam, haud ita prolixo de *Terminis Theologicis*, tam implicata, & non extricanda congerit, ut dementent potius *Infidelem*, quam Chriſtianum inſtituant. Et quo *Scopo* è recentioribus *Conradus Vorſtius*, & alij, ijsdem ſe immerſerant *abyſſis*, noverit cordium Scrutator, ſed *quo ſucceſſu* videmus. Excitarunt ſiquidem tot rixarum turbines, quibus *Exegeſes* & *Apologiæ* poſtliminares, ſopiendo non ſunt. Quid *Keckermanus* noſter & *Jacobus Martini*, annon dum de adorando Trinitatis Myſterio Metaphiſice nimis argutentur á *Goſlavio* & cæteris *Socinianis*, rigidiùs habiti, non multùm á ſuis probati redeunt? Interpono hæc tantum (*Adoleſcentes*) in veſtram gratiam & cautelam, ne nimium audeat *veſtra Philoſophia* in hujuſmodi Theologiæ adytis. noſtis quid accidit *Icaro*, alta nimium petenti, vel potius *Nadab* & *Abihu* ignem alienum coram Domino apponentibus. Si concutiatur & vacillat arca, *Uzze* cujuſlibet manus non eſt admovenda. Videmus hìc quàm cautè, & providè *Apoſtolus* ad *potentiam* & *Divinitatem* Dei, ſempiterna hæc revocat omnia Dei *Inviſibilia*, quæ ex Creaturæ libro poſſunt conſtare, ne *plura* ſubtilius ingerendo, altercandi potius periculosè, quàm piè meditandi ſuppeditaret materiam.

Levit. 10.

6. *Virtus* autem *ſempiterna* quæ primo occurrit, utcunq; in hominibus ab ἐξουσία diſcrepet, ſic ut aliud ſit in nobis *Potentia*, aliud *Poteſtas*. (multi ſiquidem δυνατοὶ, ſeu *potentiam* habent, *hoc*, vel *illud* agendi, qui tamen ἐξουσίᾳ *poteſtate*, ſeu *authoritate* prorſus deſtituuntur, & è contra) In Deo interim hæc coaleſcunt; quia non majori pollet potentia quam *poteſtate*, nec illud velit, quod non valet perficere. Ergo *El gibbor*, *El ſhaddai*, *Pantocrator* in ſcripturis paſſim dicitur. In Symbolo Apoſtolico, *Omnipotentia* præfigitur, reliquorum omnium attributorum vice, qua illud quod vult Deus efficit, & quod non vult non facit. Ubi cautè removendæ ſunt à Deo (juxta Scholaſticos) *Actiones*, 1. *Culpabiles*, ut mentiri, ſeipſum negare. 2. *Pœnales* ut metuere, dolere. 3. *Corporales*, ut Dormire, edere, bibere, quæ Deo attributæ ἀνθρωποπαθῶς, ἀνθρωπίνως ſunt à nobis concipiendæ. 4. *Actiones inconvenientes*, quæ repugnant vel ipſius. 1. *Potentiæ*, ut facere ſe majorem, vel æqualem. 2 Vel *veritati*, ut efficere contradictoria ſimul eſſe vera, vel quod præteritum eſt futurum. 3. Vel *Bonitati*, ut damnare *Petrum* & *Judam* ſervare. hujusmodi enim non arguunt *Libertatem* ſed *Labilitatem*. *Quædã* non *poteſt Deus* (inquit *Auguſtinus*) *quia eſt omnipotens* eſt ideo eſt *omnipotens* quia iſta non *poteſt*. Poteſt ſi *vellet*, ſed impoſſibile eſt *ut vellet*, quia *immutabilis* in æternum perſtat, & habet potentiã tantùm *activam*, non *paſſivam*, quicquid ſuggerit in contrarium *Vorſtius*. Interim rectius dicitur iſta non *poſſe fieri*, quàm *Deum non poſſe facere*, ut oſtendit *Zanchius* ex *Aquinate*, quoniam obſtaculum cur non fiant, ex parte *rei* non ex parte *Dei* obſervatur. Uſus & abuſus hujus de *Dei potentia* doctrinæ, quàm latè diffundunt ramos, indigitaſſe mihi ſufficiat, veſtrum erit (*Baccalaurei*) prout res tulerit, in ſtudiorum veſtrorum curriculo accomodare. Siquidem qui Deum ſempiternâ pollentem virtute, hoc eſt *omnipotentem* eſſe ſeriò ſecum meditatur, non hæſitabit de *Creatione* mundi ex nihilo, non de *Reſurrectione corporis*, non de animæ *immortalitate*, (de quibus veſtri *Peripatetici*, & *Sociniani* illis nocentiores Scrupulum injiciunt;) animosè & fidenter quosvis hæreticos, adorire & exoſſare. Promptus erit cum *Abrahamo* ad amplectandas omnes Dei promiſſiones, utcunq; *naturam* ipſam videantur oppugnare. Non animum deſpondebit ſub *vexillo* crucis, aut in tentationis lucta. Nam ſi *Omnipotens* (inquit mihi ſit *à dextra*, ſi ambulavero per *vallem umbræ mortis* non timebo malum, *quoniam tu mecum es virga tua, & bacculus tuus, iſta conſolantur me*. Nec deerit demum gratitudinis *copioſa meſſis*. Si enim Deus pro liberrimo ſuo *beneplacito*, poteſt omnia omnibus præſtare, & nobis tamen ea indulſerit *privilegia* quibus deſtituuntur alij, qui tam benignæ forſan culturæ fructus uberiores reddidiſſent; ſi oculi & aures noſtræ reficiantur præcipue in hoc loco, iſta fælicitate, quam *reges plurimi* ardenter ambierunt, nec viderunt tamen aut *audierunt*; quas victimas, quæ holocatomata, quam λογικὴν λατρείαν (ut habet cap. 12. hujus Epiſtolæ noſter *Apoſtolus*) pro tam immenſis in nos beneficijs, quibus impares omnino ſumus, Deo reddamus? quicunq; ſapiens eſt obſervabit hæc & advertet animum tàm ad *potentiam*, quàm ad Jehovæ *miſericordias*,

δυνάμεις

Gen. 17. 1.

Apoc. 1. 8
Aquin. p. q. 25

De Civit. Dei l. 5. c. 10.

In not. ad lib. 4. theſ. 34. p. 212.

Part. 1. q. 25. art. 3.

Heb. 11. 19.

Pſ. 23.

Luc 10. 24.

ricordias, Pſal. 107. Triplex autem nihilominus hinc emergit *Elenchus*, á vobis attendendus in veſtro Peripato (*Baccalaurei*) *primus* eſt quando á *poſſe ad eſſe*, *ſecundus*, quando *â non eſſe ad non poſſe*; *Tertius*, cum ab *Impoſſibili* ad *Eſſe*, *Sophiſta* argutatur. Ex *primo*, ſic nugatur *Papicola*, poteſt Chriſtus *Panem* in *Corpus* ſuum *Tranſubſtantiare*, ergo facit. Ex *ſecundo Politicus*, Non liberat Deus *Eccleſiam* á tyrannide *Antichriſti*, ergo non poteſt. Ex *Tertia*, *Ubiquitiſta*, Nunquid aliquod verbum *Impoſſibile* eſt apud Deum? Ergo facit ut corpus *filii* illocaliter ſit & *ubiq;*, & nullum *locum* occupet, dum omnem nihilominus impleat. Cujuſmodi vero ſunt iſtæ *conſequentiæ*, veſtra Logica deſpiciat, dum nos ad alterum *Attributum* nempe *Divinitatem* ejus provehamur.

θειότητα αὐτοῦ. ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης.

7. *Sempiterna ejus virtus & Divinitas*] Inter θειότητα & θεότητα hic recte (ut mihi videtur) diſtinguit *Beza*, (utcunq; *Piſcator* & *Pareus* diſtinctionem illam non probant.) θειότης enim eſt ipſa *Deitas*, θεότης vero *Divinitas*. Illa unam indicat *eſſentiam*, quæ creavit omnia, tribus perſonis diſtinctam; hæc *Divinitatem* proponit, quæ diſponit & conſervat omnia. De Attributis autem hic loquitur *Apoſtolus*, quæ ex libro *Naturæ*, & *Creaturæ* manifeſtantur; myſterium *Trinitatis*, ex *revelatis* principiis, *fidei* eſt peculium, ideoq; rationis decempedam immenſùm excedit; ut cum præceptore *Aquinate* oſtendunt ſummiſtæ ad 1. part. q. 32. Art. 1. *Divinitas* igitur illa eſt *conſervatrix* Creatoris virtus, qua ſuſtentat & diſponit ea omnia quæ fecerit, attingens à *fine* ad finem *fortiter*, & diſponens omnia *ſuaviter* ut habetur Sapient. 8. 1. in ipſo enim *vivimus*, *movemur* & ſumus. Act. 17. 28. ἐξ ἑνὸς, ἢ αὐτοῦ, καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα, Rom. 11. 36. ex eo, *per eum* & in *ipſum* ſunt omnia. Eſt ſupra *omnes*, per *omnes*, & in *omnibus*, Epheſ. 4. 6. ſi ipſe *avertet faciem* turbantur omnia, ſi auferat *Spiritum* deficiunt & in pulverem ſuum reverturtur omnia Pſ. 104. 29. Nec latuit hoc Latinorum *Poetarum* principem, quod à *Græcis* tam *Philoſophis*, quam *Poetis* accepiſſet

Vid. Virgil. Eclog. 6. Zanch. de Nat. Dei l. 2. c. 2.

Principio cœlum & terras campoſq; liquentes
Lucentemq; globum Lunæ, Titaniaq; aſtra
Spiritus intus alit, totamq; infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcit.

Non quod Deus ipſe ſit mundi *anima* (ut levitèr hic ineptiunt quidam) ſed quod Dei *Divinitas* ſit mundum quaſi *animans*, ut quælibet in eo *Creatura* ſuis vicibus, ſuas *vires*, & *virtutes* ad gloriam diſponentis exerat. De hujus *Divinitatis influxu* in creaturas omnes, *confluxu* cum *ſecundis cauſis* in effectus omnes particulares, *defluxu* per illuminationem illam, qua illuminat omnem hominem *venientem* in hunc mundum *Io.* 1. 9. in promptu eſſet *infinita* pene congerere, ſi non *utilia* potius quam *ſubtilia* à nobis eſſent ſelegenda: quid autem aliud *diffuſum* habemus à *Lombardo*, per quatuor Sententiarum libros, & tot plauſtris commentariorum dilatatum, de toto hoc negotio, niſi quod compendio exhibet hæc theſis unica, *Deus unus eſſentia*, *Perſonus trinus*, *Sapientiſſimus*, *Potentiſſimus & Liberrimus*, ut patet Lib. 1. Sent. Diſtinctionibus 48. *Eſt rerum omnium cauſa Efficiens* l. 2. Diſtinctionibus 44. *Reficiens* per *Chriſtum*, *virtutes*, *dona*, *mandata*, l. 3. Diſtinctionibus 40. *Perficiens* per *Sacramenta* & *quatuor noviſſima*, l. 4. Diſtinctionibus 50. cui methodo etiam, *Summiſtæ* fere omnes ſe accommodant. Sed iſta omnia ſunt *peregra* & tantum non *titivilitia*, ſi cum uſu (à nobis præcipue attendendo & urgendo) conferantur. Illum enim quem æternum, quem infinitæ *potentiæ* & *poteſtatis*, quem immenſæ *Majeſtatis* & *Divinitatis* eſſe agnoſcis, audebis tu (miſelle) irreverenter *adire*, aut oſcitanter *audire*, aut præcipientem *poſthabere*, aut promittentem, vix *reſpicere*, vel interminantem contemnere? Quid autem à nobis poſtulat Dominus (*Patres*, *Fratres*, & *Filii*) nil aliud profectò, niſi quod omiſſum queritur *Apoſtolus* ab Ethnicis de quibus hic loquitur, cognoſcentes (inquit) *Deum*, non ut *Deum glorificaverunt*, aut *gratias egerunt*. Omnis ſiquidem honor & gloria omnipotenti *Demiurgo* eſſet aſcribenda; non aſcripſerunt. omnium bonorum *largitori* gratiæ perpetuæ eſſent referendæ; non retulerunt. hoc autem ut ſtudioſius facerent, quâ in Schola, quo ductu, qua *Methodo* fuerunt edocti, ut ad inviſibilia hujuſmodi perducerentur, ſuccedit ut ſecundo in lòco *ex textu* habeamus.

Iſaiæ 48. 17.

γνόντες τὸν θεὸν, οὐχ ὡς θεὸν ἐδόξασαν, ἢ ηὐχαρίστησαν V. 22,

Ἀνὰ πᾶσαν ἡσυχίαν, τοῖς πάλαι νομιζομένοις κοσμικοῖς.

8. *A creatione Mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciantur*] Quo abſtruſiora ſunt ἀόρατα, quæ caligantibus oculis proponuntur conſpicienda, eo accuratiori

opus

opus eſt *Methodo*, ut dexteriùs conſpiciantur. In *Methodo* autem quis hæc non animadvertit, ἀπὸ ſcilicet & διὰ, *unde*, & *Per*, Terminum *à quo*, & Media *per quæ*, ad terminum *Ad quem* inſtituimus progreſſum ſignantèr indigitare? Apoſtoli autem eſt hoc artificium in præſenti *Syſtemate*, Terminus *à quo* ſive *unde*, eſt à *Creatura* Mundi. Media *per quæ*, ſunt ea quæ *facta* ſunt, ut ex illis conſpectis, & intellectis ad *inviſibilia* aſſurgamus. Ἀπὸ κτίσεως κόσμου] Vulgaris interpres hæc reddit *objectivè* à creatura mundi, unde alienæ iſtæ antiquorum *gloſſæ*, quas *A Lapide* recenſet, & alii, Ἀπὸ τῆς κτίσεως & τῆς ποιήσεως contra Syntaxin grammaticalem in idem conflarent; ac ſi à Creatura Mundi, & Per ea quæ facta ſunt omnino coinciderent. Atqui ceſpitarunt (ut conſtat) haud ita ſolliciti in apicibus, & phraſeologia. Ἀπὸ enim hic non idem ſonat quod ἐκ] illud ſiquidem denotat rem ſubjectam, ſed à vel ab quod deſignat *temporis* initium. ut idem valeat ἀπὸ κτίσεως κόσμου hoc in *loco*, quod ἀπὸ καταβολῆς *Mat.* 25. 34. & *Hebr.* 9. 26. Inde à *Creatione* mundi, *à mundo condito*. *Men Tarmideth de holma*, à fundatione mundi, ab eo tempore quo *incæpit* mundus, ut cum *Syro* interpretantur Recentiores. Non ἀφ' ἡμῶν igitur, vel ἀφ' ἡμῶν, *hodie* aut *heri* incepit tandem Dominus gentibus creaturarum *Scholam* aperire. Nec Phyſiologia iſta (ut *Chymica*, vel *Ramiſtica*, aut *Sociniana*) nuper erat excogitata; ſed ab ipſis mundi deducitur incunabulis. Quot igitur inde ſupputantur temporum intervalla, tot in orbem rediere quaſi ad determinandum, & gradum ulteriorem ſuſcipiendum *Comitia* & *Quadrageſimæ*. Veniam igitur profectò non merentur (inquit hic *Theodoretus*) qui cum hujuſmodi præceptores habuerunt, ex tot *Diſciplinis* nullam utilitatem perceperint, & pudeat tanto temporis tractu, per tot revolutionum & ſæculorum periodos, nihil omnino didiciſſe, præſertim cum ad manum fuerunt tam *illuſtria* & *appoſita* ad diſcendum *media* de quibus deinceps eſt agendum.

Anſelmus Chryſoſt. Theodoret. Theophyl.

9. *Per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciantur.*] Media quæ hic ſuggeruntur ſunt *duplicia*, *Apprehendenda*, & *Apprehendentia*; Apprehendenda ſunt ποιήματα, ea quæ facta ſunt; *Apprehendentia* ſunt rurſus *duo*, *Conſpectus* & *Intellectus*. Id enim quod *factum* eſt *ſenſum* afficit, ſenſus informat intellectum, *Intellectus* per collationem & illationem, *Inviſibilia* amplectitur. ergo quid per ποιήματα hic intelligit *Apoſtolus*, non colligendum eſt ex vocabuli *latitudine*, ſed ex textus *ſcopo*. *Opera* enim univerſim (ut vertit *Eraſmus*) aut *facta*, ut *vulgaris*, in cenſu generatim hic non veniunt, ſed ea tantum (ut recte animadvertit *Beza*) quæ hominum *oculis* ſunt expoſita, quo fit ut *Oxymeron* aliquod *Paranomaſticon* obſervertur in textus elegantia. *Inviſibilia* per *viſibilia* videntur. Quid autem aliud eſt conſpicuum hujus mundi *Theatrum*, quàm παιδαγώγιον ἢ θεωρίας, καὶ ψυχῶν λογικῶν διδασκαλεῖον, ut magnifice exprimit *Baſilius*. In hac *Schola* ſex iſta, *Pulchrituo* rerum admirabilis, *varietas* ineffabilis, *Diuturnitas* incredibilis, *Perfectio* maxima, *Amplitudo* ſumma, *Compages* partium jucundiſſima, quò aliò humi repentes, & natali glebæ affixos nos adducunt, quàm ad illum qui talem pulchritudinem indiderit, varietatem diſtinxerit, diuturnitatem ſanxerit, perfectionem dedolaverit, amplitudinem dilataverit, compagem conteſſeraverit, ut ab hiſce obviis ad ſuperiora, quaſi per *ſcalam* aſcendamus, donec tandem in aliquo ſupremo faſtigio acquieſcat inveſtigatio? Ad ſcrutinium hoc (inquit *Lombardus*) à *duobus* ſaltem quilibet adjuvatur, à *Natura*, nempe, quæ rationalis eſt, & ab operibus à Deo factis. Ad iſtam veritatem juxta *Patres* (ut ibidem oſtendit) *quadruplici* pervenitur *medio*. ab *opere* (aſſurgendo) ad *opificem*, quod eſt *Ambroſii*, à *Mutabili* ad *Immutabile*, à *corporeo* ad *incorporeum*, à *ſenſibili* ad *intelligibile*; quæ omnia ſunt ex *Auguſtino*. & in iſtis omnibus, *æternitas* Creatoris, ex Creaturarum *perpetuitate*; ex *magnitudine*, omnipotentia; ex *ordine*, ſapientia; ex *gubernatione* bonitas, ſicut in ſpeculo aliquo lævigatiſſimo conſpiciatur. *Aquinas* ex veſtro *Ariſtotele* ad iſta (de quibus agitur) inviſibilia *quintuplicem* aperit aſcenſum, *primus* eſt à ſubordinatim *motis* & *moventibus* ad *primum motorem* immobilem qui *movet* tantum & non *movetur*. *ſecundus à Cauſarum* efficientium conſpicua *dependentia*, qua inferior ſemper nititur ſuperiori donec ad primam tandem pervenitur. *tertius* colligit à *poſſibili* & *neceſſario*, ſi *poſſibilia* ſint ea (quæ circumſpicimus) omnia, aut omnino non fuiſſe, vel *aliter* eſſe potuiſſe, vel *non* eſſe, aſcendat neceſſe eſt diſcurſus ad unum *neceſſarium* à quo iſta habuerunt omnia, ut eſſent, quando non eſſent, & quando ſunt, ut maneant. *quartus aſcenſus* eſt ex diverſis rerum gra-

τοῖς ποιήμασι νοούμενα κατορᾶται.

1. Sent. D. 3.

De Civ. Dei l. 8. c. 6.

dibus; ubi magis & minus, vilius aut præſtantius æſtimandum ſemper venit ab *intervallo*, quo aliquid proprius *accedit*, aut *recedit* ab illo quod eſt *optimum*. Sed *quintus* à ſtupenda rerum *diſpoſitione* ad *fines proprios*, & finium propriorum *ordinatione*, ad ultimam metam & perfectionem *analyticè* progreditur, & in eodem acquieſcit *fine*, unde omnia ſuum duxere *exordium*.

L. 1. c. 4. 10. Supervacaneum forſan videbitur iſtis addere quod ſubtiliſſime proponit *Wiclevus* in *Trialogo* omnem proprietatem quæ eſſentialiter ineſt Deo, poſſe probari *Logice* ex hoc unico principio. *Deus eſt quicquid eſt melius eſſe, quàm non eſſe.* nam *melius eſt* ſimpliciter non eſſe *Angelum* quam *eſſe* Angelum, quia melius eſt eſſe *Deum* quàm Angelum. At Deum eſſe eſt *optimum*, optimum ergo quod ſimpliciter eſt, eſt *Deus*. Sed ſi talia videantur obſcuriora, in luce ſunt alia, quæ de *votis* & *juramentis* apud omnes nationes, de miraculis, de illimitato animæ appetitu, de rerum creatarum diſpoſitione provida, & libera, de admirandis (ut habet veſter *Ariſtoteles*) *Auditionibus*, de terroribus conſcientiæ: de *lucis* mira proprietate, quæ ab aliis paſſim congeruntur. Quænam enim gens tam aſpera eſt, & emotæ rationis, quæ in votis aut juramentis Deum aliquem ſupremum non agnoverit? non horruerit ad fulgura, tonitrua, terræ motus, inundationes, incendia, oſtenta & portenta quævis factum aut captum humanum excedentia? quis invenit aliquid in tota hujus mundi pompa quod ſatisfecerit, immo quod tædium cito & nauſeam non attulerit? Poſſidet montes *aureos?* ad mundos nihilominus anhelabit *Smaragdinos* avaritia. mundum ſubjugaſti cum *Alexandro?* ad alios mundos nondum creatos intumeſcit ambitio. quis terminum poſuit luxuriæ? aut dominandi libidini? quis librorum helluo vel *Solomone* ipſo inſtructior, qui non ſudat, alget, vigilat ut plura ſemper intelligat? non ſatiatur *oculus videndo*, nec expletur *auris* audiendo, ut prædicat *Coheleth. uti* poſſumus his omnibus *ut* mediis, non *frui* ut fine, ſicut recte urgent *Scholaſtici* ex *Auguſtino*. Elevarent nos profecto hæc omnia ad inviſibilium claſſem, ubi id quod ſatisfaciat, (aut nuſquam) inveniamus. poſtremo qui in luce hac verſamur, & per lucem cætera conſpicimus, de luce quam multa deſputamus? de lumine, de radiis, de ſplendoribus, de reflexionibus, Optica & Catoptrica profitemur, profitemur tamen nos eadem opera, de lucis *natura*, *motu*, aut *virtute*, quæ cætera nobis reddit viſibilia, ut noctuæ ad ſolem cæcutire. Non me latet (*Baccalaurei*) quid in Scholis veſtris vulgo jactatur, quod *lumen* non ſit *corpus*, non ſit *ſpiritus*, non *forma* ſubſtantialis ſed *qualitas*, verum de ortu ejus *ignoto*, de *motu* ejus inſtantaneo, de penetratione *diaphani* imperceptibili, de influxu ejus occultiſſimo, quis è vobis innumera ænigmata extricaverit? *quænam* eſt *via*, qua in partes diſſilit *lux*, diſpergente *Euro* ſuper terram? Problema eſt *Altiſſimi* è turbine *Iob.*38.24. cui quid reſpondebit veſter *Ariſtoteles?* Sane ut res veræ ſunt in mundo inviſibili (juxta *Triſmegiſtum* in *Pœmandro*) ita in *Germania* noſtra (ut ita loquar) *inferiori*, *umbræ* rerum tantum apparent, & videmus hic per *ſpeculum* in ænigmate 1. Cor. 13. Sed ut ex *umbra* corporis, rerum *moles* metimur: ita lumen hoc circumfluens, ad lucem iſtam ἀπρόσιτον de quo loquitur *Apoſtolus*, ſaltèm aliquam facem præferat, ut in lumine iſto videamus, & amplectamur iſtam *lucem* quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & per lumen hoc *aſpectabile* ad φῶς illud θεωρητὸν καὶ ἀόρατον φάτνῃ, admirable illud lumen *Patris* luminum, lumina noſtra nictantia & caligantia aperiamus.

Eccleſ. 1. 8.
1. Sent. D. 1. De Doct. Chriſt. l. 1. c 3.
1. Tim. 6. 16.
1. Pet. 2. 9.

11. Sed verendum eſt ne ſplendor hujus *lucis* coruſcantior, oculos noſtros γλαυκάζοντας glaucomate afficiat, ſufficiat igitur hac vice hanc primævam Dei creaturam, quæ nec *corporea* recte dici poteſt, nec *incorporea*, nec *ſubſtantia* nec *accidens*, nec *qualitas* cæleſtis, aut terreſtris ſic in confinio *viſibilium* & *inviſibilium* collocari, ut per hanc ad illa facilior pateat tranſitus. Induamus igitur è Textu *conſpicilla*, quæ omnia iſta *inviſibilia*, oculis mentis noſtræ patentiora ſubjiciant. quid iſta Domini ad *Iob* tonitrua, ubi eſt *via* qua *lux* habitat, & *tenebrarum* ubi eſt locus? ut ducas unumquodq; ad terminos ſuos, & intelligas ſemitas domus ejus numquid eſt *pluviæ* pater? aut quis genuerit *ſtillas* roris? an ſatis conſideraſti de litias *Pleiadum* aut *gyrum Orionis*, aut *Arcturi* cum filiis ſuis? hanc cum ipſe recolo, venerandam *cæleſtiloquentiam*, *balbutire* mihi videntur, & *pipire Demoſthenes* omnes & *Ciceones*. Cum tanta *majeſtate* attrahit humi-repentes *lumbricos*, ad intuenda ſua ex viſis, inviſibilia. Attendite *Regem* & *Prophetam* ad eundem ſcopum vos manuducentem,

c. 38. 39. 2

centem, *Psal.*8. quum respicio *cælos* opus digitorum tuorum, *Lunam* & *Stellas*, quas statuisti, quid est mortalis quod memor sis ejus, aut *filius* hominis quod visites eum? *Psal.* 19. Cœli enarrant *gloriam* Dei, & opera manuum ipsius annunciat *firmamentum*, Dies dici *eructat* verbum, & nox nocti indicat *scientiam*. Usum eundem inculcat *Psalmus* 104. quam *magnifica* sunt opera tua ô *Jehovah*, quàm ea omnia *sapienter* fecisti? plena est terra possessione tua, ut & mare *spaciosum*, ibi *Leviathan* & alia *squamosa* & reptilia quorum non est numerus. ô quàm subsidunt, & sordent *Poetica* ista vestra, de *via lactea*, & cæteris nugis, præ hisce *Scherei Hamagnoloth graduum Canticis*, quæ in sublime rapiunt piam animam. à *visibilius* hisce ad conditoris invisibilia?

Hac iter est superis ad magni tecta tonantis.

Hinc remittit *Solomon* ad *formicæ* solicitudinem, *Isaias* ad *bovis* & *asini* gratitudinem, *Jeremias* ad *gruis* & *Ciconiæ* providentiam ut pensiculatiùs has ascensiones cogitemus. Et nonne horsùm cogit, hisce omnibus præstantior *Salvator* per *volucres*, per *lilia*, per *Passeres*, ne hæreamus socordes in natali *luto*, sed ad sublimiora ista *invisibilia* aspiremus? Credite *vobis dictatum* illud, *Lucæ* 12. cum *videritis nubem exorientem ab occasu, statim dicitis, imber venit, & ita fit.* Et *cùm Austrum* flantem, dicitis, *æstus* erit, & fit *æstus*. *Hypocritæ, faciem terræ, & cæli* nostis explorare, hoc autem *præstitutum tempus*, quî fit ut non exploretis? & cur per *vos ipsos* non *discernitis* quod justum est? Cordibus vestris sunt ista recondenda (*Baccalaurei*) ut ascendatis hac *cælesti methodo* ad *invisibilium magisterium*. Inter *Scholasticos* (quos tanti facitis) Doctorem *Angelicum* ductorem hic habetis, qui in *Aquila* summitatem rupis incolantem, superbiam; in *milvo*, fraudulentiam; in *accipitre* rapacitatem, in *Porphyrione* hypocrisin, in *porco*, *lutulentiam*, in *cane* ad vomitum reditum adumbrari ostendit, quo defæcatiores assurgamus ad superiora hæc *invisibilia*. Volumen esset effundendum in singulis confectandis. *familiaria* vobis, ut attingam tantùm in transitu: quo *Prædicamentorum* classes vos adducunt, nisi ad transcendentia *Ens, unum, verum, & bonum* in quibus terminatur hic ascensus? In *Physicis*. Uranologicis, Meteorologicis, Elementis, sensibilibus, Vegitabilibus & hujusmodi, quis adeo *stipes* est, ut non observet tritam ad *Invisibilia* Creatoris semitam? In *Ethicis*, quo dirigit actio ista virtutis perfecta (vestri *Aristotelis*) in *vita perfecta*, nisi ad horum *invisibilium* summum bonum, si pie ut oportet accommodentur? *Pythagorei, Platonici, Plinius, Galenus, Plutarchus* (& cæteri eiusdem studii) quos progressus fecerunt in hac ascentionis *scala*, nec vacat mihi dicere, nec vobis audire. Hinc Christianorum habemus exactiora *Anagogica, Eusebii* præparatoria *Evangelica*, *Epiphanii, Physiologica, Fulgentii* Mythica, & Recentiorum *Reductoria*, Theologiam *Naturalem*, Zoopædiam, Creaturarum *scalas*, & *Triumphos Biblicos* quæ sternunt nobis aditum ad hæc invisibilium adyta. Sed manum de tabula. media accepistis *apprehendenda*, ab *extra* (ut loquuntur) indicata, restant *internè apprehendentia* à nobis paucioribus percurrenda.

Prov. 6. Is. c. 1. C. 8. Math. 6.

2. 2. q. 102. art. 6.

12. *Intellecta conspiciuntur*] Ista *duo* sunt *Conspectus*, & *Intellectus*. *Primum* emergit ex verbo καθορᾶν, *secundum* ex Participio νούμενα. καθορᾶται tantùm hoc in loco in *Scripturis* invenitur, ut constat ex *Stephano*, & ἐμφατικῶς ingerit non *videndi* tantum *facultatem*, sed *intentionem*. unde per pervidere exprimunt *Recentiores*, quod plus est quam *conspicere*, ut reddit hic *Vulgatus*. Videt aliquis quod evenit, sed cur id accidit, non *pervidet* juxta *Columellam*. Ergo non ἀισθησις tantum, sed ἱστορία, ἐμπειρία, ἀπαγωγὴ Aristotelicum illud *quadratum* omnium scientiarum *fundamentum*, in hac unica *Apostolica* καθορία comprehenditur. Ecquid magis jactatum in *Scholis* vestris, Nil inveniri in *intellectu* quod non prius fuerit sub *sensu*?

νούμενα καθορᾶν.

Per varios sensus, Artem experientia fecit
Exemplo monstrante viam. ------ Dixerit nescio

quis *Poetarum*. sed illustrius est illud *Apostoli*, cibum solidum, hoc est, *Doctrinam*, non *Elementarem*, sed *sublimiorem* adultioribus tantum esse proponendam, qui διὰ τὴν ἕξιν τὰ αἰσθητήρια. ἔχοντα γεγυμνασμένα πρὸς διάκρισιν καλοῦ τε καὶ κακοῦ, *per habitum habent sensus exercitatos, ad discretionem boni & mali*. Quapropter ut habitus comparentur in *sublimioribus*, sensus exercendi sunt in *obviis*, ut ex *habitibus* sic comparatis in boni & mali, veri & falsi *discrisi*, intellectus suum nunus dexteriùs exerceat, Inter *sensus* autem *visum* & *auditum* quis valvas esse præcipuas ad intellectum

Heb. 5. 14.

Mat. 5. 22. non obſervaverit? *Lucerna* corporis *oculus* eſt (inquit *Salvator*) ſi igitur oculus tuus erit *ſimplex*, totum corpus *Lucidum* erit; ſin *oculus* tuus nequam fuerit, totum *corpus* tuum tenebroſum erit. nec auditus diſpar eſt ratio. Quoties illud ad parabolam de *ſemento*, & in *Epiſtolis* miſſis ad *ſeptem* Eccleſias, *Qui habet aurem ad audiendum, audiat*, ingeminatum legimus? ut vero in *Sacris*, aurem arrigit ad *fidem* verbi divini prædicatio, & *oculos* dirigunt *Sacramenta:* Sic in *exotericis* hiſce, perciperet parum *Intellectus*, niſi plenis velis invectum per *quinq;* ſenſuum *portas*. Unde ſcite *Tertullianus*, præmiſit Deus *Naturam*, Magiſtram; ſubmiſſurus & *Prophetiam*, quo facilius credas *Prophetiæ* Diſcipulus *Naturæ*. Ecce quam expoſuit ſe *inviſibilis* rerum ſator, *oculis* tuis & *auribus*? quàm admovet ſe ulteriùs *reliquis* tuis *ſenſibus*? ut æternam ipſius *potentiam* & *Divinitatem* guſtes & palpes? ut odor ſit tibi vitæ ad vitam, non mortis ad mortem? contemplari illum potes in his quæ te circumſtant, tanquam in *ſpeculo*, perſequi ut in *veſtigio*, recognoſcere quaſi in *libro*, exaudire ut in *Cithara*, conſiderare velut in *pictura*, ut paſſim inculcant *Patres*. Quiſquamne igitur eſt, qui *imagines* alias ludicras, quæ *Mechanicorum* figmenta ſunt & pigmenta, vice talium *librorum* ad cultum peteret? non videbis (crede *Apoſtolo*) in hoc *ſpeculo*, ementitas rerum *ſpecies*, non ducêris per hæc *veſtigia* ad *gnabadah zara*, alieni *cultus* objectum, non recognoſcas in hoc *libro Chimæras*, *hypocentauros* & *larvas* rerum inviſibilium, non audias ex hac *Cithara*, meretricantes *ſonos*, vel ex talium *picturarum* admiratione, facile pellicieris in *Papiſticam* Idololatriam. *Icones* ingeniorum delineat *Philologus* quidam recens, in diverſarum nationum geniis: At quas icones, quales ideas, qualia *Hieroglyphica potiora*, excogitabit quivis *Poeta*, quam *patientiæ* in *Jobo* exploratæ, in *Davide* humiliato, *Sapientiæ*, in *Solomone* exercitato? In hiſce premendis, & urgendis Concionator *Apoſtolicus*, Muſicus ſit vere *harmonicus*, qui adaptat *corda* noſtra ad cæleſtes *chordas*, ut exultet *fides* ex concentu talium *fidium*. quod ſi iſtæ tres *Harpyæ* (*ſuperbia*, quæ Deum; *Invidia*, quæ *proximum*; & *Ira*, quæ noſmetipſos à *nobismetipſis* eripiunt) interveniant, quod nimium frequenter fit, & contactu ſuo conſpurcant omnia; orandus eſt *miſericors Pater*, ut per *filium* ſuum dilectum, educeret nos fætentes cum *Lazaro* è *ſepulchro*, ejiciat è *ſenſibus* noſtris, *carnis*, *mundi* & *Diaboli* præſidiarios, abſtergat *lepram* clamantium peccatorum, *claudicantes* erigat ad currendum in ipſius *ſemitis*, Surdaſtris purgat aures, ad imbibendum, & *Collyrio* cæleſti inungat *oculos* ad contemplanda ipſius *magnalia*, ut ita ſenſus *defæcati*, ſyncerè informent *intellectum*, quod *ſecundum* eſt *medium apprehendens*, apprehendens immediatè, hæc (de quibus agimus) *inviſibilia*, de quo jam ſuo loco eſt agendum.

νοήματα. ? 13. *Intellecta*] Hujus vocis *Etyma*, & varia ſignificata, ulterius expaciandi copioſiſſimam ſuppeditant ſegetem. quis enim de *Intellectu*, de *intellectis*, de *intelligibilibus*, de *intelligentiis*, de *intelligendi modo* verba faciens, non plurima proferat συνώνυμα (ut de *Pauli multis*, *Petrus* teſtatur) quæ ipſe non intelligit? inter *Spiritum*, *ingenium*, *mentem*, *intellectum*, quis è veſtris *Philoſophis* ut oportuit diſtinxerit? de *intellectu agente*, An ſit, quid ſit, qualis ſit, quomodo ſe habet ad intellectum *poſſibilem* aut *phantaſmata*, illuminando, & abſtrahendo ad noematum fabricam, quomodo in ſe reflectit ad *proprium* Scrutinium, ſuaſq; apprehenſiones cùm ſimplicium, tum compoſitorum, ſive *axiomaticas*, ſive *dianoeticas*, *illativas*, vel *ordinativas*; quomodo *ponit*, *componit*, *diſponit*, *reponit*, *exponit*; quis conſenſus pene eſt inter veſtros *Philoſophos* qui omnia ſe putant intelligere? de intellectu *Scaligeri* (ſi non male memini) *Adepto* (qui ex *innatis*, non *illatis* ſpeciebus format theoremata) muneris non eſt mei *diatriben* inſtituere. *Tria* hic habemus apud noſtrum *Apoſtolum*, νοήματα, νοήματα, ἀόρατα, *facta*, *intellecta*, *inviſibilia*; facta ordinantur ad intellecta, intellecta ad inviſibilia, inviſibilia, non percipies niſi *intellectus* inſtituatur, non inſtituitur *intellectus* (Phyſice ſaltèm loquendo) niſi ex ſenſuum *miniſterio*. Sed quàm infinita pene ſunt (ut noſtis *Baccalaurei*) quæ ſtabilitum ſapientiſſimè à benigniſſimo conditore, noſtra *perverſitate*, aut *neglectu*, hunc perturbant ordinem? Poemata in ſenſus incurrentia, ut *vulgaria* ſuſq; deq; habemus, aut ſuperficiem tantum diſtringimus, aut corticem, ut ſucci parum inde ad intellectum emanet. quàm multi ſunt *oculi* averſi, *aures* perverſæ, ſenſus *inverſi* qui videndo, audiendo, aut ſentiendo, nihil inde, aut quod diſtortum eſt, intelligunt? Contulit tibi (mi *frater*) creator tuus hæc omnia ſalutis *organa*, ut ex horum *uſu* debito, & opportuno

Exer. 307.

opportuno ad intelligenda ipſius *inviſibilia* aſſurgeres. Cur aciem igitur oculorum non intendis? *Aures* non arrigis ad hanc *nativam* & *perennem Philoſophiam*? cur facultates tanti pretii, & non æſtimandi commodi, ad otium, ad torporem, ad crapulam, belluino more, ad propriam ignominiam, & interitum dimittis, & proſtituis? O ubi ſunt pii noſtri *Antonii* qui abſq; paginæ alicujus *literariæ* conſpectu, ex *cæli* & *terræ* intuitu ſummus evaſit *Philoſophus*! *Bernardus* profitetur aliquoties, ſe quicquid ex *Scripturis* didiciſſet, in *Sylvis* & *agris* meditando, & orando, præcipue accepiſſe; nulloſq; aliquando *Magiſtros* habuiſſe præter *quercus* & fagos. Clamat quævis Creatura (vox eſt *Hugonis*) Accipe *beneficium*, Redde *officium*, Fuge *ſupplicium*. *Auguſtini* eſt illud *ſoliloquium*, Non ſum *ego*, ſed per *ipſum* ſum *ego*. quem quæris in me; ipſe fecit *me*. ſuper *me*, quære eum qui regit me, qui fecit *te*, Hæc tam poſita ſunt in luce, tam *ſenſibus* omnium appoſita, tam expoſita cujuſque ratiocinantis captui; ut ſi non attendat, non recolat, non fructum inde paratiſſimum percipiat, ἀναπολόγητος, *inexcuſabilis* prorſus invenietur. quod *uſum* inculcat ulteriùs tertio in loco ad *coronidem* præcedentibus imponendum.

14. *Ita ut ſint inexcuſabiles*] De eventu, non de fine exponunt hæc *Græci interpretes*, non *eo fine*, hæc in medio reliquit Deus *Philoſophis*, ut manerent *inexcuſabiles*, ſed accidit ex eventu contracto ipſorum perverſitate, ſic *Chryſoſtomus*. nec aliter *Theophylactus*, qui addit talem Scripturæ eſſe *proprietatem*, ut cum de *fine* plurima proponantur, per *eventum*, illorum reddatur ratio. Sic *Oecumenius* non ſtudio Dei hoc factum fuerit, abſit, quanquam ita evenerit! In eundem ſenſum *Piſcator* (à *Beza* diſſentiens) *ſimplicius* mihi videtur ut *ſtatuamus* hic notari *eventum*, ac proinde εἰς τὸ εἶναι *dictum* eſſe ὥστε εἶναι, adeo ut *ſint*, ſicut reddit *Vulgatus*, non *ad hoc*, ut ſint *inexcuſabiles*. ita *Gualterus* quod *gentium vitio* factum fuit, hoc *Deo* per *accidens* tribuitur, eo quod *gentium* ingratitudine *bene uſus eſt*: poſtremò accedit *Pareus* & paſſim alii. Calumniæ igitur ſunt iſtæ *maleferiatorum* qui ſententiam tam *feralem*, noſtris impingunt, ac ſi *Dei* tribueremus *decreto*, quod *uſui* ſolum *accidentario* (ut habet quidam è noſtratibus) aſcribimus. *Sæcula* fuerunt *ſpecula* quæ illuſtria tum *potentiæ*, tum *virtutis* divinæ exhibuerunt *ſpectacula*, quibus cum non uſi fuerunt *Philoſophi* in rem ſuam, ut potuerunt, ἐματαιώθησαν ἐν ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, *Stulti facti ſunt* & *evanuerunt* in *ratiocinationibus* ſuis, ut habet *Apoſtolus*: cum contra Creaturarum *dictata*, contra *rationis* propriæ *dictamen*, mutarunt *gloriam* incorruptibilis *Dei*, tam eminenter radios ſpargentem, per totius mundi *theatrum*, in efformatam *imaginem* corruptibilis *hominis*, & *volucrium*, & *quadrupedum* & *reptilium*. Hic autem quid comminiſci potuerunt quo *colorem* aliquem, tam deliranti ſuperſtitioni inducerent? quibus *ſophiſmatis*, qua *arte*, quo *Marte*, adeo cogentis veritatis *argumenta* declinare conarentur, prodeat hic veſter *Ariſtoteles* è priſcis, (ut notum eſt) λογικώτατος & cum *Apoſtolo* noſtro manum conſerat. Num cauſabitur *nativas* tenebras, quaſi *fatalem* quandam *contagionem* vel acutiſſimis ingeniis incubuiſſe? at quis te in has *anguſtias* compulit, reponet *Apoſtolus*, & tam deplorandam impoſuit neceſſitatem ô Philoſophe? num Creatoris tyrannis? abſit. Sed libera tua & majorum *originalis defectio*. *Dices*, defuiſſe vobis *inſtitutionem* ad meliora: convincent te *Rationis* & *Creaturarum* patentiſſima volumina: *regeres*, inſtitutionem iſtam, ad ſalutem non ſufficere; At hoc non quæritur ô *Phyloſophe*, num ſe ſanare poteſt contracta parentum vitio, *naturalis impotentia*, ſed an tantum *didiſceris* quantum *potuiſti*, & tantum *præſtiteris*, quantum didiciſti. Dictat *ratio* unicum eſſe *Deum*, cur tu *plures* introduxeris? & *Mechanicorum* deliramentis te proſtraveris? dictat *Logica tua*, hunc *Deum* eſſe inviſibilem, immenſum, æternum, cur fabricas tu *idola* ex tuo cerebro, ut quod *infinitum* eſt & *inviſibile*, limitibus compingeres, & coloribus exprimeres? horret *conſcientia* ad ſtupra, exdes, proſtitutiones, aut quævis id genus flagitia? Cur præceps interim in talia prorumpis? & quod prohibes in *Ethicis*, perpetras in *Oeconomicis*, & *Politicis*? quocunq; igitur ſubterfugies, nullum invenies *refugium*, Accuſare teipſum potes, excuſare non potes.

εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους. Πάσης ἐκλείπει ἰσχύος, ἀναπολογίας. Οὐκ ἄντη ἡ στέρησις τοῦ θεοῦ γίγνεται ἄκυρος, εἰ μὴ ἔτυχε ἐξέβη.

Rom. 1.

15. Ἀναπολόγητοι. igitur erunt temperans *Socrates*, juſtus *Ariſtides*, divinus *Plato*, ſeverus *Zeno*, æquabilis *Ariſtoteles*, qui ſorte potius dicantur ceſpitaſſe, quàm *ſtudio*; & *excuſandæ* erunt prævaricationes noſtræ (*Patres* & *Fratres*) qui in meridiana *Chriſtianiſmi* luce, ad quemvis lapidem impingimus? reſilit pia *meditatio*, ad effrænes, & effrontes, ad repetitos, nec ſine quadam gloriatione expoſitos Academicorum

micorum *lapſus*. O Deus! ſi gentium *Heroës* cauſa cadunt, cum tot adducunt ſâltèm quæ *miſericordiam* moveant, quæ noſtra erit *Apologia*? qui tot *præceptis*, tot *exemplis*, tot *beneficiis* exciti, pedem tamen referimus, & *Philoſophis* ipſis *Ethnicis* deteriores evadimus. Talenta tot accipimus, & nulla *Villicationis* reddenda erit ratio? clamabit incaſſum *Salvator* (ut olim ad *Hieruſalem*) quoties volui congregare *filios tuos*, quemadmodum *gallina* congregat *pullos* ſuos ſub alas: & noluiſtis? quid agimus (P. & F.) quo in loco vivimus? cui bono oleum & operam hic impendimus? nunquid ut bibamus, edamus, dormiamus, inter nos rixemur, & *inexcuſabiles* tandem in opprobrium *loci* & *diſciplinæ*, ſcenam egrediamur? Si qua igitur *Philip. 2. 1.* *conſolatio* (noſtis cujus ſunt ſtimuli) in *Chriſto Jeſu*, ſi quod *charitatis* ſolatium, ſi qua communio *Spiritus*, ſi quæ *viſcera*, & *miſerationes*, addam ego, ſi qua *ſpes* meſſis *fides* promiſſorum, reverentia ſummi *Epiſcopi* noſtri, *Paſtoris*, & *Agonothetæ*; ſi in appropinquantibus (quàm propè Deus ſolus noverit) ſupremis *Comitiis*, ulterioris alicujus *cæleſtis gradus*, & *laureæ* immarceſſibilis ceperit nos deſiderium; non detineant nos in *imis* hiſce *ſubſelliis* larvæ rerum *viſibilium* & *crepundia*. à tergo non reſpiciamus cum uxore *Lot* ad *Sodomæas*, ϕλυαρίας, ad *dextram* aut *ſiniſtram* non declinemus, à vocationis ſalutaris ſemita. Sarcinas, quæcunq; gravant, abjiciamus. non meditemur, ambitionis, otii, luxuriæ *prætextus* noxios, & *ſophiſticas Apologias*: ſed ad *palmam* ſupernæ vocationis in *Chriſto Jeſu*, per omnia elargita nobis *mediæ*, ſenſuum, intellectus, *gratiæ*, fidei, Naturæ, Creaturæ, Scripturæ, alacriter & indefeſſo molimine properemus donec *illam* tandem in *gaudio* Domini noſtri, & Creatoris fæliciſſimè conſequamur per *Jeſum Chriſtum*, Salvatorem noſtrum, cui cum *Patre*, & *Spiritu Sancto*, ſit omnis *Honor*, *Laus*, & *Gloria* in Sæcula Sæculorum.

AMEN.

FINIS.

ALLOQUIUM

SERENISSIMO REGI

JACOBO

WOODSTOCHIÆ HABITVM

24. *Augusti.* *Anno* 1624.

A JO. PRIDEAUX *Tunc temporis*

Academiæ OXON. *Vice-Cancellario.*

QUod *Portio Latroni* è Scholis in forum protracto, ut peroraret publicè, accidisse refert *Seneca*: illum usq; eò fuisse confusum, ut à *Solœcismo inciperet*: vereor, ne mihi contingat hodiè apud Te dicturo, (*Regum omnium perspicacissime*) qui dicenda anticipas, stupendâ ingenii prolepsi; à quâ, quantum deficit, tantum infra rem subsidit vel meditatissima cujuscunq; oratio. Cùm autem sensibile nimiùm excellens labefactet sensum, (ut cum *Philosophis* tradit experientia) quid mirum, si prodeunti subitò è *Musarum umbraculis* caligens oculi ad insoliti *Solis* radios. Hosce interim vel deponit cum *Phœbo* apud Poëtam, vel cùm *Mose* potiùs velo obducit *Sacrata tua Majestas*, quoties appropinquant *tui Academici*; quos non benigniùs audis, quàm invitas: non ut *inter cæteros* tantùm gratulentur pro more, sed *præ cæteris* compellent liberè. Hinc, si fieri potuisset, *octodecim* stipata *Collegiis*, & *septem Aulis*, in occursum prodiisset *Patrono suo*, grata tua *Ancilla*, *Mater* nostra, *Oxoniensis Academia:* sed quia hoc non datur; quod agnoscit, quod debet, quod meditatur, quod vovet, representat per *filios hosce* suos primarios. Peregrinantur plurimi ad JACOBUM *Compostellæ*, & dum quærunt ibi *Sanctum*, inveniunt *Idolum*. Neq; enim inter *Fraterculos* adhuc constat, An JACOBUS *Apostolus* unquam

Contr. l. 12. proœmio.

Vide Marianam de adventu S. Iacobi in Hisp. Baronium Martyrol. ad 25. Iulii.

unquam *Hiſpaniam* inviſerit. Quantò compendioſior noſtra hæc Religio, & certior devotio? Iſti prolixum iter emetiuntur, ut minùs forſan accipiant, quàm conferunt. Tu verò JACOBUS *noſter Tutelaris*, non tam expectas tuorum vota, quàm prævenis; & ut *cultores* illuſtres *tuos*; ipſe peregrinaris. Capitale fuit *Perſis* irruentibus in conſpectum *Regis* abſq; veniâ. At Tua quos *invitat* fama, benigne *admittit* facilitas; nec triſtes unquam *dimittit*, niſi hoc nomine, *quòd* eſt diſcedendum.

2. Vincula ſunt iſta (*Rex Potentiſſime*) quibus arctiùs conſtringuntur *ingenui tui ſubditi*, quàm manicis aut compedibus adamantinis *Maſſigiæ* viliſſimi aut *ſtigmatici*: Legibus quidem tuis *vincimur* nos omnes; ſed dimiſſa celſitudine, facili ſeveritate, temperata Majeſtate, ſuavi & demulcenti jugo, *vinciuntur* præcipuè *ii*, qui aliàs ſunt *liberrimi*. Atq; hîc dum intueor, quot dicenda occurrunt, & quàm paucis ſit dicendum, non adeò turbat quid *dicam*, quàm quid *prætermittam*: Non opus eſt igitur ut vagetur Oratio, cùm domi habeat undè luxuriet. *Bibliotheca* publica quotannis intumeſcens ingenti voluminum auctario; *Scholæ* publicæ, pinnis tandem faſtigiatæ, & nubibus æmulæ; *Salaria* publica invidendâ benignitate Profeſſoribus collata, & confirmata, themata fuerunt *panegyricis* antè hoc in loco dictis; quæ faſtis jam ſeponuntur, ut inclareſcant ſeris nepotibus. Atqui non adeò ſterileſcit *Tuum* (ô *Rex feliciſſime*) *Imperium*, vel languent *Regiæ benignitatis* exempla; quin certet cum ipſo temporis decurſu, *Mæcenatum* recentior beneficentia. Quid dicam de *Aulâ Lateportenſi*, quæ (*Aquilæ* inſtar) tuo diplomate, poſt tot ſæcula, tandem vetuſtatem exuit, & tranſiit in *Collegium Pembrokianum*, vel ipſo nomine ſatis *dotatum* & *nobilitatum*? Ad marginem præterlabentis amnis, Heroicis hodiè inſurgit ſumptibus *Hortus Botanicus*, qui *Patavinis* vel *Leydenſibus*, hâc ex parte, non cedat deliciis. Ex decreto de *aperiendo Flumine*, tuo Regali aſſenſu firmato nuper, & promulgato, quàm perenne manabit, *Academicis* præſertim tuis, emolumentum, ſentient affluentiùs poſteri, quàm præſentes explicent. Poſtremò ne mutus ſim aut ingratus *Orator*, in meâ aut meorum causâ; obtinuit antè annum, Tuis præſertim literis, mandato, & dono, *Exonienſe Collegium*, haud ita latam terræ portiunculam, ſed in illâ nunc eminet non infimæ notæ *Sacellum*: deeſt tantùm ad complementum, debita *Conſecrationis* ſolennitas, & *Divi* JACOBI titulus: quò ex voto *Fundatoris* & *Collegii*, innoteſcat poſteris; & in jugi *Salvatoris* cultu, unà cum Sanctiſſimi *Apoſtoli*, benigniſſimi *Regis* in æternum recolatur memoria.

3. Iſta verò cùm ſint hujuſmodi, ut ſi indies repetant, indies admirationem excitarent, in cenſum nihilominus vix venient, ſi cum cæteris, (quæ *Tuæ Majeſtati* accepta referimus) conferantur. Gloriamur *Academiam* inter tot adverſantium cuniculos, à *Papiſmi* fermento eſſe conſervatam? Conſervavit tua prudentia: Gratulamur *Arminianiſmum* noſtras *Cathedras* non infeciſſe? Exhibuit tua providentia Antidotum. *Diſciplinam*, *Academias*, *Epiſcopatus*, ſûſq; déq; raptaſſent jamdudum *Puritaniſmi* furores, niſi frigidum ſuffudiſſet & injeciſſet frænum, feliciſſimo rerum uſu maturatum tuum judicium. Quis obſtaret æmulis & feralibus iſtis *Harpiis*, qui ſolùm illud detractum ſibiipſis & ſuis pullis æſtimant, quod Academicorum acceſſit rationibus; niſi tuus interveniret ſplendor, & nebulas iſtas diſpelleret. Atq; iſtis quidem laudibus, nil decerpit *Militum* virtus, nil *Conſiliariorum* ſolertia, aut ſubſidium. In Ædificiis, ſtipendiis, & privilegiis, agnoſcerent potiùs moroſi, Regis gratiam & Authoritatem, quàm ſumptus proprios, aut fabricam. Sed quòd *Papiſmus* non invaluit, non prævaluit *Arminianiſmus*, non diſſipavit *Puritaniſmus*, aut proſtravit lividorum ſontica barbaries, tot congeſta *Mæcenatum* Trophæa; Tuæ (ut ita dicam) prærogativæ, (Regum omnium Sapientiſſime) eſt peculium. Non hîc ſe immiſcent aliæ cauſæ auxiliatrices, aut caſus: ſed totum hoc, quantumcunq; eſt, quod certè nobis *Academicis* præcipuum & palmare eſt, totum (inquam) eſt tuum.

4. Illam igitur Academiam, (O REX) quam tot affeciſti beneficiis, decorâſti trophæis, muniviſti privilegiis, beâſti orthodoxæ Profeſſionis libertate, illuſtrâſti

luſtráſti præſentiâ, donâſti ſcriptis, ituris in ſequentium ætatum miracula & oracula, irrigâſti poſtremò expectatâ affluentiâ liberandi Fluminis, habes hodiè proſtratam ad debita *Majeſtatis Tuæ* obſequia, ut agnoſcat quanta accepit, reddat quod poteſt, veniam petat ubi deficit, exprimat ſaltem quod cupit, cùm non habeat quod rependat. Mavult nunquam fuiſſe felix, mallet ſemper haberi vilis, quàm ingrata tali *Patrono*, in cujus Benigniſſimo *Favonio*, illos quibus anteà & adhuc animatur, haurit ſpiritus; & in præcipiti *ſenectute* (ut *Invencula*) fit fœcunda. Intra proximè elapſum novennium, (obſtitricante pro modulo, *meo* qualicunq; *Profeſſoris* tui *conatu*) *ſeptuaginta tres* emiſit in S. *Theologiâ Doctores*; ut omittam ultra *centum & octoginta* ejuſdem facultatis *Baccalaureos*: quos confidenter dicam, non tantùm *Papiſmum* execrari, *Arminianiſmum*, non fovere, *Puritaniſmum* explodere, ſed etiam peſtiferam iſtam, & nuper flammis ultricibus expiatam, *Buchanani*, *Paræi*, *Danæi*, & aliorum de *cohibendis Regibus* ſententiam, *merito ferire Anathemate*. Nec Medicis, Juriſconſultis aut Philoſophis deſunt proprii catalogi, deſunt fida pectora, deſunt promptæ linguæ, ad gratiſſimam *Doctiſſimi Regis* obſervantiam. Summatim ut dicam; quòt fovet Academia genuinos Filios, tot habet *Rex Jacobus* Deo ſupplices, ut *Angelus, qui eripuit Jacobum Patriarcham è cunctis malis*, perpetuet illius felicitatem: per quam agnoſcimus, *Academias* ultra ſperatam ſortem triumphare. Quàm pulchra igitur ſunt tabernacula tua (O JACOB) & tentoria ſub te *Iſraelis* tuæ! ut valles nemoroſæ, ut Horti juxta Fluvios irrigui, ut Arbores Aloës, quas plantavit *Iehovah*. Fluat aqua de ſitulâ tuâ, ad perpetuum tuorum Refrigerium; ingemat elatus *Agag* ſub tuo victrice brachio: nec *Gog* aut *Magog Monocerotas* aut *Leones* tuos impunè exſuſcitent, aut laceſſant. Ut poſtquam *Corah*, *Dathan*, & *Abiram*, & omnes ejuſdem inſtituti *Aiaſtores*, dehiſcentibus terræ faucibus, abſorptos conſpexeris; poſtquam *Locuſtas* & *Ranas Apocalypticas* à tuis finibus & latifundiis procul abegeris; poſtquam fugatorum murmura, vel juſtitiâ tuâ eliſeris, vel prudentiâ & moderamine pluſquàm humano ſedaveris: poſtquam *Regalem tuam proſapiam*, apud exteros (proh dolor!) tot annos jam exulantem, hæreditariis ſedibus, & dignitati reſtitutam videris: Sicut JACOBUS ejus Nominis *primus*, ſuper extremo adorans baculo, non priùs hoc terreſtre relinquas *Regnum*, quàm (raptu quaſi ELIÆ) cœleſte poſſideas, & in CAROLUM PRINCIPEM duplicetur Spiritus. Quod faxit Pater in Filio per Spiritum Sanctum. AMEN.

I. P. V. Oxon.

Abſolütionis Formula qua Antiquitus ſolebat VICE-CANCELLARIUS in vigilia Palmarum, *Baccalaureos* poſt præſtitas Determinationes *Quadrageſimales* ſolenniter dimittere.

NE vaçaret *Charta*, aſſuta eſt (petente *Typographo*) hæc *Abſolutionis Formula*, quæ *Baccalaureos* tantùm reſpicit, ad quos habitæ fuerunt ſex *Conciones antecedaneæ*. Quod ut pleniùs ab *exteris* percipiatur, habendum eſt *Baccalaureos* exercitia *Quadrageſimalia* præſtituros, duos è ſuis pro tempore eligiſſe quaſi *Magiſtratus*, quos *Collectores* vulgo nuncupabant. Hiſce incumbebat *Baccalaureos* reliquos *determinaturos*, in claſſes diſtribuere, & ſuis vicibus certa ſerie, quibus reſponderent deſignare. *Collectores* illi fuerant plerunq; ex *delibato* Determinantium *flore*, *Nobilium*, aut *Generoſorum* filii, qui magnis *impenſis*, & partium prenſantium *ſtudiis* munus illud ambiebant. Quod cum in tumultus non ferendos tandem degeneraverat, mutatus permanet hodie iſte *electionis* modus; ut minori ſtrepitu pacatius tranſigantur omnia. Priſco autem ritu è *Collectoribus* ſenior coram *Vicecancellario* (finitis precibus publicis) limatam habebat Orationem, quâ agebat præcipuè, ut ſi quid à *ſe*, vel *ſuis* juvenili impetu, *Academiâ* aut *ſtudioſis* indignè admiſſum erat, aut commiſſum; pro ſua paterna pietate & prudentia *Vicecancellarius* indulgenter ignoſceret. Inde anſam arripit *Vicecancellarius* hac vel ſimili *forma* reſpondendi, ut ſequitur.

ET *moris* eſt, & poſtulat horum omnium *expectatio*, ut tam ſubmiſsè & elegantèr peroranti, aliquid ſaltèm reponerem. Afficeret me quidem tua adeò *calamiſtrata* oratio, (*Generoſe* Adoleſcens) ſi tuam ſolummodo egiſſes cauſam, & non plurimorum, qui te *circumſtant*, tui prorſus *diſſimilium*. Cum *Porchetus Archiepiſcopus Genuenſis* in die *Cinerum*, Cineris *benedictam aſperſionem* (pro *ſuperſtitione* iſtorum temporum *theatrica*) à *Pontificis* ſanctitate præſtolaretur, ſub *ſolenni* & uſitata formula, *Memento Homo, quia Cinis es, & in Cinerem reverteris*; retulit ingeſtum in oculos *pulverem* ab indignabundo *Diſpenſatore*, cum hoc *ſacerrimo* expiamento. *Memento Homo quia Gibellinus es, & cum Gibilinis in Cineres redigeris*. Parì ſi vobiſcum agerem ſeveritate (*Baccalaurii* impræſentiarùm demiſsè *ſupplices*.) me nimium fortaſſe tetricum & *ſupercilioſum* cenſeretis; atqui talem non reddidit me *natura* ſed multorum inter vos *Petulantia*. In ulcere autem non libet unguem aſperius verſare. Recolite vobiſcum quid veſtri erat obſequii, & quàm ingenuè iſtud præſtitiſtis. Et ex datis hujuſmodi *præmiſſis*, vel juxta veſtrum *Ariſtotelem* inferatur *Concluſio*.

Plat. in Bonif. 8°.

cluſio. Indulſit vobis ut noſtis *gratioſè* Alma Mater *Academia Baccalaureatus* Lauream, indulſit pro dignitate *inſignia*, contulit *privilegia*, vocavit ad libertatis *pileum*, deſignavit vobis *Scholas*, Scholas dicam an *palatia* nuper extructa ad ſtuporē magnifica. *Feneſtræ*, *Cathedræ*, *ſedilia*, à puerilibus *næniis* abducerent, & *Sobrietatis*, *verecundiæ*, & ſolennitatis religionem quandam incuterent. Interfuerunt pro munere *Inſpectores*, ſelecta præponuntur ad discutiendum *Logica*, *Phyſica*, *Metaphyſica*, *Ethica*, *Politica*, punctiſſima problemata, expectavimus more priſco, *argumentorum* momenta, & *ſolutionum* acumina. Sed quid tandem prodit? vultis ut quod res eſt dicam? *Screatus*, pedum *ſtrepitus*, & inconditi *clamores* perturbant omnia. Sic ut appoſitè quadret illud de tanto apparatu. ---- ὐδὲν ὕδατος ἐδὲν ἀκόν.

& Πολλὰ τ' ἀϋτμὴ κἀπήτια φῦλλα τὰ δ' ἔρχεα τ' ἔλδον.

Quid verò exteros exiſtimetis qui huc confluunt, ut ad *Artium emporium* inter tales rutubas ſecum reputaſſe? Hæccine eſt *deprædicata diſciplina*, quæ antiquitus *Scotos*, *Burleos*, *Occamos*, & memoriâ recentiori, *Fuellos*, *Raynoldos*, cæteroſq; ejuſdem proſapiæ *heröas* mundo dedit? Sic reſpondet tandem pro ſuis (ut habetur in *ſpondendi Formula*) veſter *Ariſtoteles*? *puderet* profectò

------ *Hæc opprobria nobis*
Et dici potuiſſe & non potuiſſe refelli.

Hæc autem dum *audit*, dum *intuetur*, dum perpendit ſolicita mater *Academia*, abimo quaſi pectore ducit *ſuſpiria*, & quid de talium *profectu* (inquit) eſt ſperandum, qui in *limine* tam inauſpicatò non ceſpitant tantùm, ſed cernui proruunt? Ad conſpectum tamen *tuum* & tuorum comitum (*Collector* ingenue) detergit *oculos*, deponit *rugas*, & quicquid inſolentiùs ſit à *maleferiatis* patratum, tuæ *ſuavitati* & *Candori* condonandum ârbitratur. Neq; enim omnia grana ejuſdem *Cumuli*, ſunt ex eodem ſemento. Agnoſcit in hac *Corona* sui ſimiles, facile, in *obſequium*, arrectos ad *audiendum*, à *rixis* & *ineptiis* toto cœlo averſos, ad diſputandum tamen promptiſſimos, aculeatos, & nervoſos, hos *procatur* & attrahit in ſinum & amplexus ſuos; capita demulcet, exoſculatur, nec ignoſcit tantum, ſed ad *ſublimiora* in Muſarum exhedris deſtinat *ſubſellia*. Veſtrum interim eſt (*Laureati Adoleſcentes*) non abuti tam obvia & in medio poſita Indulgentia; ſed tanto impenſiùs niti, Ne cum *Amphora* cæpit *Inſtitui currente* infæliciter *rota*, exeat *urceus*. *Pelles* quas geſtatis *agnini*, *pilia* quibus ornati eſtis *quadrata*, *habitus*, *tituli*, ſingula inculcant non tàm ſuſcepti *gradus privilegia*, quàm ampliora à vobis *pietatis*, *eruditionis*, *ſobrietatis* exhibenda eſſe *ſpecimina*. Quam indignum enim eſſet, & parum decet, vel *Baccalaureum* debacchari, vel ſub *agnina pelle* lupum agere, aut ſub *pileo* dignitatis *teſſerâ*, inſignitèr *repueraſcere*. Cogitate igitur (*Baccalaurei*) quales *fuiſtis*, quid *acceptiſtis* quo *tenditis* & quænam ſit *Eccleſiæ*, *Reipublicæ*, *Academiæ*, *Parentum*, & *amicorum*, immò omnium *Bonorum* de vobis expectatio. *Meſſem* veſtram *herbeſcentem*, ne depaſcant Feræ *ſingulares*, non conculcent *Onagri*; non negligat aut rubigine obductam, reddat *ſocordia*, quinimò illud *aſſidui* & *accubui* velis omnibus & remis alacritèr & perſeverantèr agite, ne *Academia* votis, *Amici* expectatione. *Res-publica meſſe*, meſſis *operariis*, operarii mercede, & exoptato fructu tandem deſtituantur. Atq; ita, qui *ſolus* poteſt (quod ipſe tantum denuntio) *cæleſtis pater* à *præteritis*, vos omnes quot quot hic adeſtis abſolvat, & ad *Ampliora*, (prout *ipſi* viſum fuerit) ſuo tempore promoveat.

FINIS.